THOMÆ BARTHOLINI HISTORIARUM Anatomicarum & Medicarum Rariorum Centuria V. & VI.

Acceſſit
Viri Clariſſimi
JOANNIS RHODII
Mantiſſa Anatomica

Bib: Sec. Coll' Rom. Soc. J.



HAFNIÆ,
Typis HENRICI GÖDIANI, Reg. & Acad. Typogr.
Sumptibus PETRI HAUBOLDI Bibl.
cIↄ Iↄc LXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo

D^N. PETRO REEDTZ

Toparchæ in Tyggeſtrup,
Magno Seren. Reg. Maj.
Dan. & Norw. &c.
Cancellario & Senatori,
Collegij Cancellariæ Præſidenti,
Aſſeſſori Collegij Status,
Regio Inſulæ Mønæ Præſidi,
Academiæ Conſervatori,
Literatorum Mecænati
perbenigno,

S. D. P.

Thomas Bartholinus.

Digitized by Google

QVoties bellorum noſtrorum injurias preſſius ad memoriam revoco, toties diſplicere mihi ſoleo, quod ad literas principem curam contulerim. Duras enim ibi rerum viciſſitudines innocentes Muſæ patiuntur, & quæ molliſſimè pacis indulgentia habentur, ſæviente Bellona aſperius tractantur, ut priſca majeſtate privatæ vix inter cruenta arma reſpirent. Juſtas querelæ cauſas turbulenti fati vitio, neutiquam hominum, habeo, hic reticendas, quia præterita lamen-

Digitized by Google

mentis exacerbantur, non emendantur. Optandum ſanè melius cum pace reſtituta ſeculum, qvum & hic ſatietate rerũ bonarũ ſubinde laborent mortales, & niſi inducta parſimonia novus excitetur appetitus, faſtidij nulla ſupereſſe ſoleat medicina. Non ſpero viſurum me denuò immerſam ruinæ ſuæ patriam, aut orbem Chriſtianum barbarie, quam cœli omina portendunt, fœdatam. Vitæ ſumma brevis huic me forſan eximet infelicitati. Commiſeratione tamen moveor & inhorreſco, ſi fortè liberos poſteritati educem & libros, qui ingrato

to ſuo ſeculo & corrupto debebunt ludibrium. Rectius enim tum inertiæ meæ olim indormiviſſem. Hæc ſollicitudo publica anxiam mentem torquet, quæ id ſemper egit, ut ad publicam laudem & utilitatem aliquid conferret. Fractus verò laboribus, & oppreſſus inutili conatu, animum deſponderem, ſi nemo ſuccurreret, ſi nos digni videremur, qvos ſeculi fæces involverent, &

Premeret quos everſo
Cardine mundus.

Utinam recurrant priſca literarum præmia, quibus accenſi

mor-

Digitized by Google

mortales amare pergant, quod inſcia alioqui negligentia tandem amittent. Quodcunq; fatum mundi ſit futurum, animum ſuum conſtantibus exemplis obfirmabit ſapiens & Medicus. Ille enim pacis belliq; tempora juxta æſtimat, nec in pace tumidus, nec in adverſis abjectus. Hic verò ubique invenit, quo artis ſuæ experimenta & victuræ ſeculis hiſtoriæ medicæ commendentur, ſpetis faucibus orci, ubi

--- ultrices poſuere cubilia curæ,
Pallentesq; habitant morbi.

Magna interim omnes ſpe erigimur, qui antiqua Tua decora, Cancellarie Magne, haud ignoramus, fore ut optatum à Te laborantes Muſæ & bellorum æſtu ad exilium accinctæ ſolacium impetrent, & Medicina ſtabilimentum. Domeſtica hæc Tua eſt virtus, & conſueta in literas propenſio, quam à Maximo Tuo Socero, Dn. CHRISTIANO THOMÆ SEHSTED Heröe Diuino, quem nemo ſatis laudaverit, quia immortalibus in Rempublicam literariam beneficiis omnium laudes meruit vel ſuperavit, jure hæreditario & ſucceſſionis ad Te transmiſſam

Digitized by Google

miſſam ita in generoſo pectore enutriviſti, ut magna ſui parte auctam uberrimo ad alios fructu diffundas. Hæc cauſa ad paucarum linearum ductus me animavit, quod videam, ſupereſſe velut ex Phœnicis cinere renatum nobis Cancellarium, qui pari cum majoribus exemplo, domi foriſque probata virtute, fugientes Muſas ſiſtet ſibi prorſus addictas. Hinc tanta in rebus gerendis dexteritas, in regni negotiis prudentia, in legationibus obeundis grauitas & fides, in dubiis expediundis facilitas. Jamq; ad illud faſtigium in patria Te virtus & Regis favor

evexit, ut quod bonarum mentium alumnis optamus, tuo conſilio & authoritate præſtare poſſis ut obtineant. Nullum excellentius in temporum inclinatione ſtudium, quam ut literis faveas, ſine quibus nihil in imperio ſalutare proſtat. Tantam fiduciam nobis mens tua omnibus literis imbuta concitavit, ut tuis honoribus debeant Muſæ noſtræ, ſi receperint veteris prærogativæ ſecuritatem. Inprimis pro Anatomes gloria intercedo, quæ propius me tangit, quæque deliquium paſſa eſt, ne committas ut mecum hic adulta, mecum quoque intereat,

Digitized by Google

reat, mihiq; tandem ſcribendi, Tibi benè merendi occaſio præripiatur. Cæterum publicis pro ſalute Tua & familiæ votis, debita erga Te devotio, & orientis anni creſcat felicitas.

Hafniæ Cal. Januar.
cIↄ Iↄc LXI.

Digitized by Google

TH. BARTHOLINUS
LECTORI S.

PRogredimur Secretiora Naturæ inſtituta ſignato veſtigio perſequi. Tam prodiga ſui eſt Natura, ut ſicut per dies in ſe recurrit rerum ordo, ita nova ſemper parturiat & curioſis oculis offerat. Plerumq; quidem ſibi eſt ſimilis & eodem tramite decurrit, ſed ſubinde vel impedita deflectit & inuſitatos edit eventus, vel ignoto nobis conſilio, non viam mutat ſed novam ambagibus admirationem concitat. Nos Naturæ devoti, etiam ma-

Digitized by Google

maxima rerum temporumq; difficultate, neglecta aliis colle- gimus, alios ad facilem imita- tionem provocaturi. Interru- pit quidem nonnunquam Mars improbus ſtudiorum quietem: tamen & inde Hiſtoriarũ crevit augmentum. Pro lucro imputat veri rectiq; cultor quidquid ex transverſo evenit, quod mutare neſcit, ut quod aliis in pœnam, illi cedat in ſolacium. Illuſtria exempla Mars habet, quibus ad præclara quævis excitamur, & ubiq; gloriæ campus Medico panditur, Tarentinis aut Siculis voluptatibus præferendus. Stu-

pendi

Digitized by Google

pendi Naturæ effectus hic ſe produnt, ubi contra naturam maximè in mutuum exitium armamur. In uno militiæ ſupergredimur ſæveritatem. Nam in rara Naturæ ſerie enarranda, ſingulis ſua reddidimus, nec ullum humanitatis aut diligentiæ laude fraudavimus. Fidem narratorum vel exempla firmant, vel autores præſtant, vel ratio tuetur. Verè enim Vellejus *Paterculus l.* 2. quanquam in autore ſatis rationis eſt, tamen ratio quemlibet magnum autorem faceret. *Vale.*

Viro

Viro celeberrimo

Thomæ Bartholino

Medicinæ Doctori & P. P.
Facultatis Decano,
Novum opus edenti.

QVicquid mortalis fingit ſolertia curæ
Vel Natura ſuo parturit alma ſinu,
Exequitur paribus felix induſtria ſcriptis,
Quæ pridem mundum demeruere ſibi:
Aonidum immortale decus, Barthline, Sororum
Ingenio qvantum ſecula noſtra beas;
Per te Parrhaſiis Helicon conſcenditur oris,
Barbara nec poſthac Græcia Delon habet,

Digitized by Google

Tu cœlum, & terras ſcrutaris, &
excutis undas,
Qvicqvid & eſt terras inter,
& inter aqvas,
Imus, & immenſum per te trans-
mittimus æquor,
Qvà patet, & laxis finibus or-
bis abit: (ſecli,
Sis felix noſtri florentis adorea
Spectatum terris, cœlicolisq;
caput:
Gratia ſi ſupereſt geſtis bene, ſi
quis amoris,
Si fidei reſtat, ſi pietatis honor;
Jam mox venturis oriere nepoti-
bus aſtrum,
Nec metues, mundo non pe-
reunte, mori.

V. Bering.

THOMÆ

Digitized by Google

THOMÆ BAR-THOLINI

Hiſtoriarum Anatomicarum & Medicarum Rariorum

CENTURIA V.

HISTORIA I.

Undecim coſtæ in thorace.

IN Anatome privatâ corporis virilis & robuſti, Haſniæ 1657. ſuſpenſi, id præter alia merebatur obſervationem, quod uno latere undecim tantum coſtæ conſpicerentur, in altero duodecima quidem compareret, ſed valdè eſſet exilis. Suſpicabar vel ruptam fuiſſe duodecimam primi lateris, vel in muſculorum ſeparatione relictam eſſe nec obſervatam, quod *Fallopius* quoq; in Obs. Anat. inter coquendum evenire perſuadet; ſed ſcrupulis his exemptis, viſus mihi eſt qui cum Adamo in di-

ſceptationem venire poſſet. *Galenus* l. 8. Adm. Anat. c. 1. teſtatur, rariſſimo decimam tertiam coſtam videri, atq; hac adhuc rarius undecimam, idq; tam rarum eſſe, ut inter mille vix unum tali coſtarum numero invenias. *Columbus* modo XI, modo XII ſe obſervaſſe dicit. *Riolanus* c. 19. comm. in Gal. de oſſ. incertum numerum fatetur, quia habuit ſceleta, quæ XI ex utroq; latere coſtas monſtrarent, viditq; alia quæ XIII utrinq; coſtas oſtenderent. Hinc non à vero abludere videtur, primum Parentem alterutro latere tertiam decimam coſtam accepiſſe, quam cum muſculoſa carne adnata exemptam in Evæ corpus transmutavit Jehovah, quæ ſententia quoq; eſt *Conradi Aslaci* noſtri Phyſ. Chriſtian. p. 385. Diſſentit *Veſalius* l. 1. c. 19. unam ex XII Adamo ademptam, neq; ideò omnibus viris unam defuturam. At nos ægrè imperfectionem iſtam in mortalium primo ferimus. Nec *Laur. Eichſtadio* in Colleg. Anat. credimus ex duodenario numero exemptam coſtam aliâ coſtâ noviter generata reſarcitam: quia tacet Moyſes, & fruſtra ad novos labores creationis DEum accerſimus. Neq; tamen *Dreſſero* in App. Corp. Hum. concedere poſſumus, vertebram

bram decimam tertiam unà cum coſta fuiſſe extractam: Ita enim juſta Adami ſtatura unius vertebræ defectu defeciſſet, & medulla ſpinalis interrupta fuiſſet tota. In noſtro homine proceſſus ſtyliformes tam erant protenſi, ut digitum indicem meum exæquarent. Adhæc oſſa duo articuli pedis digiti minimi connata erant.

HIST. II.

Convulſio oppoſitæ partis in capitis vulnere.

PUer duodecennis menſe Majo, ſatis An. 1657. fervente, in area arcis Hafnienſis à colluſoribus lapillo in dextris temporibus læditur, vulnere prorſus prima fronte contemnendo. Neglexit id, ſed exacto die tertio dolere cœpit. Siccum vulnus nec pus nec aliam humiditatem emiſit, unde convulſio ſeqvuta oppoſitæ partis. Convellebantur ſiniſtram partem verſus nares, os, brachia, &c. Per vices convulſio repetebat, vixq; ſemihoræ inducias largiebatur. De ampliando vulnere diſſeruimus, ut materiæ exitus procuraretur, ſed metu retrahebamur, ne major ſuccederet convul-

ſio ex temporali muſculo dilatato. Igitur ſine turunda vulnus procuratum petiis cum digeſtivo & Emplaſtro de Betonica. Nonnihil profuit clyſter. Sed non ceſſare convulſiones, quæ nono die diutius ſolito ægrum præhendunt. Per ſedem vermes prodire viſi. Undecimo convulſus obiit. *Hippocratis* eſt prognoſticum in Coacis: quibus tempora ſecantur, iis ex adverſa ſectionis parte convulſio contingit. Quod repetit l. de Cap. Vuln. & inter peritura ſigna numerat. Cur oppoſita pars convellatur inter Medicos dubium. Per nervorum decuſſationem id non fieri, rectè contra Caſſium probat *Hollerius* Comm. in Coac. qui in convulſione facilè fieri ait, ut pars læſa ſanam contrahat, & ita alterius partis convulſio ſequatur. *Jac. Berengarius Carpenſis* defr. cran. c. 3. laborat ut per materiam vel ſubtiliorem vel craſſiorem ſe extricet. *Ballonius* lib. de Convulſ. varias ſententias affert, quibus acquieſcere nemo poſſit. Primò id fieri aſſerit, propter ſpiritus & ſanguinis partis ſanæ conſumptionem, quæ ſuppetias fert laboranti parti. Deinde propter translationem humoris morbifici à parte læſa ad ſanam. Tertiò, per ſympathiam dextræ partis cum ſiniſtra.

Deniq;

Deniq; propter conatum naturæ ſanæ partis, conantis ſe liberare, qvum periculum ſit, ab eo, quod tranſmittitur. Ultro citroq; ventilat hoc argumentum *Jacotius* Comm: in Coac. tandemq; ſauciatis temporibus duobus modis convulſionem in oppoſita parte deducit. Uno quidem propter naturalem muſculorum motum, altero verò propter evaporationem & ſaniei ſuppreſſionem, quæ cerebrum petens ſpiritus animales diſſipat, torporemq; inducit; principia verò nervorum afficiens in parte quidem oblæſa reſolutionem, in ea verò quæ integra eſt, convulſivos motus excitat. *Duretus* quoq; ſubtilis hic eſt & doctus, ſed rem eandem clarè exponit F*abric. Hildanus* Cent. 2. Obſ. 8: Dum enim oppoſitus muſculus ſeu partis ſanæ, fungitur officio ſuo, maxillam ad ſe trahit, læſus verò quia interim quieſcit, fit, ut maxilla verſus partem ſanam non ſine maximo dolore & vitæ diſcrimine trahatur. Internè tamen aliquid putridi vaporis communicari ex convulſione brachii apparet.

HIST. III.

Calculus magnus ex urethra diſrupta.

VIr plebejus & ſortis tenuioris in Inſula maris Baltici Borringholmo 1657 calculoſus, ſemel tres calculos ex crevit, quorum maximus fabam grandiorem ſuperabat. Conſuluit præſentem Chirurgum Krygerum Seniorem, qui pertentato digitis abdomine, circa urethræ initium, de cujus dolore conquerebatur, deprehendit tumorem durum, prædixitq; ægro, adeſſe ibidem calculum ingentem. Diureticis & lithontripticis exhibitis, tandem 24 Januarij erupit calculus nucis juglandis magnitudine Unciam pendens, per urethræ latus prope exortum, quod impetu calculi miſerè fuit ruptum. Interea decubuit cum ægro Chirurgus, unde ob cauſam hujus ſonticam, grangrænam vulnus minabatur. Adveniens verò junior Krygerus Yſtadienſis, quantum potuit à putredine & fœtore vulnus vindicavit, per quod lotium à ſolita via diverterat. Martio menſe ſanguis floridus ex vulnere ubertim fluxit, potu vini concitatus, quem fluxum ſentiit, quotieſcunq;

cunq; merum guſtaret, ut vino illi prorſus ſit interdictum. Per vulnus urethræ lotium exinde reddidit. Antonius Valetius ſimilem lapidem Burdigalæ vidit, qui per urethram ſibi ipſi viam fecerat, narrante *Schenckio* juniore c. 15. Lithogen.

HIST. IV.

Anatome febricitantis Ducis.

FEbre acuta correptus FRIDERICUS natu major filius Celſiſſimi Principis FRIDERICI Hæredis Norwegiæ, Ducis Sleſwicæ, & Holſatiæ, A. C. 1657. ſexto die Pariſiis extinguitur. Aperto defuncti Principis corpore, viſa eſt cerebri partium integritas ſumma, cor ipſum quale in ſanis: Pulmones per febrile incendium à conſtitutione naturali aliquantulum degeneres. Hepar parte ſui cava & majore lobo à calore febrili exſuccum & ſubnigricans. Lienis color immutatus, vergens in cœruleum, omentum exaruerat. Renum parenchyma parte ſui interiore ſubanguſtum & ſubdurum. Meſenterium magna ſui parte putrilagine & ſanie velut quadam conſperſum. Inteſtina ſubtumida & ſubnigricantia. In-

teſtinum Ileum duobus in locis exeſum & perforatum. In veſicæ cavo glanduloſa quædam ſubſtantia ad nucis avellanæ magnitudinem, non adhereſcens, ſed mobilis. Deniq; per totas alvinas regiones prorupta & effuſa tam ingens vitioſorum & ſeroſorum humorum ſaburra, ut æquare videretur pondus librarum duarum & trium. Probabile videbatur Medicis Pariſienſibus Clariſſimis, qui ſubſcripſerunt & curationi adfuerunt, *Dn. le Chambre, Gorræo, Guenaultio, Benedicto*, laudati Principis mortem contigiſſe ex inteſtinorum inflammatione propter acrem illam & corruptam bilioſorum humorum illuviem, qui cum exitu ſuo prohiberentur propter conſtricta & coanguſtata inteſtina, inuſitatam ſibi viam in abdominis ſpacia, patefecerunt, pereſo & perforato ileo inteſtino, unde vel modica Chirurgi compreſſione excidentes totam abdominis capacitatem abundè replebant. Hinc acerbiſſimi illi in alvinis partibus dolorum morſus, hinc hypochondriorum obſtinata & pervicax diſtenſio, hinc febris, animi defectiones, obortoq; tandem fœdo vomitu, mors brevi conſecuta. Obſervandum autem monent iidem Medici, decubuiſſe & occubuiſſe Principem Menſe Auguſto, cani-

Digitized by Google

canicula regnante, atq; vigente calore fervidiſſimo, iisq; temporibus, quibus apud Pariſienſes viſi ſunt morbi complures, quos cumulatior bilis, eaq; maligna & effera excitavit, cum plurimorum & præſtantiſſimorum Virorum interitu. Notant præterea, qvum in morbum illum incideret, tentatum fuiſſe Bubonocele, in quam ajunt ab annis tenerioribus fuiſſe pronum. Inde ſuſpicabantur nonnulli hinc repetendam primam labem & originem mali, quanquam inteſtinum tum perfectiſſimè in proprium locum ſit reductum. Aperto tamen corpore inſpectisq; ſingulis particulis, deſiit illa ſuſpicio, quod mihi teſtatur ex ſcheda Medicorum Pariſienſium *Joel Langelotius* Clariſſimus Archiater Gottorpianus.

HIST. V.

Oſſe temporum fracto, mors.

IN platea orientali Hafniæ 1657, 20 Maij prope oenopolium repertus eſt horis veſpertinis Radkerus Fauſt in vico ſagittarum habitans, ſive lapidis angularis alliſu ſive alia ratione contuſo capite mortuus. Nullum externum vulnus, nec ullum re-

pentinæ mortis indicium comparuit, niſi quod ſupra ſuturam coronalem levis excoriatio cutis fuerit. Igitur Prætoris urbani juſſu cadaver inſpiciunt aperiuntq; urbis Chirurgi. Diſciſſa cute piloſa invenerunt fiſſuram ingentem à ſuperna ſuturæ coronalis parte ad dextrum temporum os & oculos protenſam. Inter cutem capitis calvariamq; copioſus ſanguis ad dextrum quoq; oculum confluxerat. Calvaria diſſecta, in dextro latere incumbebat cerebro coagulatus cruor, à regione oculorum ad aurem usq; diffuſus, quo abſterſo, in conſpectum venit fractura oſſis temporum, longitudine articuli unius cum dimidio, & duos digitos tranſverſos lata. Os temporum in quatuor partes erat diviſum cerebroq; impactum venas jugulares internas læſerat, unde ſanguis ille in cerebro ſtagnans & copiosè per os naresq; cadaveris effuſus, emanarat. Cur periculoſa ſint oſſis temporum vulnera, videndi *Hippocrates* l. de Vuln. Cap. *Arantius* in Comm: *Pavius* ibidem, aliiq;.

HIST. VI.

HIST. VI.

Morbi An. 1657. *graſſantes.*

HYems frigida quidem, ſed ſine multa nive, in urbe noſtra affectus ſoporoſos excitavit, accuratis periodis moleſtos. Non pauci noſtrâ curâ ſoporem perpetuum evaſere. A meridie ſopor menſis ſpacio obrepebat, & ab aſtantibus excitati in ſomnum relabebantur. Expurgato capite & exſiccato, inprimis cucurbitulis dorſo affixis convaluerunt.

Vere ejuſdem anni Pleuritides Epidemiæ graſſabantur, cum febre acuta, doloribus pungitivis &c. Multi ad orcum abierunt, ſed plures revixerunt, quibus maturè ſecta fuit vena, & expectorantia exhibita. Matronam quadragenariam inter alias ſanitati reſtitui, cui ter ſecta vena, ſemel pedis, bis brachij. Superficies candida glutinoſa. Poſtridie ultimæ venæ ſectionis inſtante novilunio menſes prodierunt, ſolito copioſiores, ſed decolores, ſimiles ſanguini per venam extracto. Febris cum pleuritide ſtatim jugulata. Profuere frequentes vomitus ſpontanei materiæ pituitoſæ. Subinde horrores oriebantur in noſtris

Pleu-

Pleuriticis, quorum rationem inquirit *Ballonius*.

Æſtas calidiſſima & ſicciſſima nullis morbis obnoxia, ſine pluviis, niſi quod ob aëris æſtum defluxiones ad pectus, collum &c. concitarentur. Declinante verò æſtate, febres Ephemeræ invaluerunt, ſpacio 24. horarum deſinentes, invadentesq; cum vomitu, calore intenſo perdurante. Ecſtaſi quadam correpti de capitis doloribus conquerebantur. Nonnullis morbilli ſociabantur, aliquibus petechiæ.

Autumno ſicco & calido morbilli infantes infeſtabant, facilè curationi cedentes, ſed, quocunq; loci errore, morbos poſtea pectoris, deſtillationes & ſuffocationes, cum convulſionibus, quibus non pauci extincti, advocantes. Succeſſere quartanæ Epidemiæ contumaces & medicorum arcana eludentes.

HIST. VII.

Anatome Phtiſici.

DIu laſſam animam anhelantemq; ſpiritum circumtulerat bajulus Haſnienſis extra portam occidentalem. Orta nuper

per contentione à ſocio vapulat. Decumbit ſed ſine vulnere. Redit ad onera quarto decimo die, & ſub onere deficiente ſpiritu occumbit. Alter, à quo vapularat, in jus trahitur. Igitur à Chirurgis urbis cadaver exenteratur, nullumq; in eo vulnus, contuſio nulla obſervatur. Hinc phtiſi conſumptum, vero ſimili conjectura divinavimus. Pulmo enim ſiniſter computruerat totus, ſcatebatq; pure fœtidiſſimo, tunica externa plauræ adnatâ. Sana pars ſuperſtes pendebat libras quinq; civiles. In corde adipoſæ fruſtulæ oblongæ lumbricorum inſtar cernebantur. Auricula cordis dextra ſex digitos tranſverſos longa diaphragmati accreverat. Hepar ſine lobis rotundum magnæ molis diaphragmati ad hærebat. Lien ponderoſior ſolito. Omentum veſiculæ fellis arcto nexu implicabatur.

HIST. VIII.

Paralyſis pedum ex lapſu.

OLaus ruſticus in pago Lundby uno lapide ab urbe diſtante menſe Julio 1657 in uſum domeſticum ligna ex arbore cæſurus, deciduo ramo, cui innitebatur, in

in altum humi proſtratus cecidit. Ramus anticæ parti pubis impactus, veſicæ regionem in tumorem compreſſit. Dorſum autem iſto caſu ita afflixit, ut vertebræ dorſi fractæ viderentur & contuſæ, præterea os ſacrum vulnere vitium contraxit, unde Paralyſis ſtatim omnium partium inferiorum, ad quas nervi ab oſſe ſacro diſſeminantur, ſubſeqvuta. Crura pedesq; motu privati & ſenſu. Calor tamen partis & nutritio ſuperſtes fuit, etiam quinta hebdomade qvum ipſi adeſſem, quia arteriæ liberæ remanſerant à compreſſione & lapſu. Hinc inter tot tormenta avidè cibum cepit. Sed fæces & urina præter voluntatem excretæ. Muſculi tandem natium & crurum ad gangrænam vergebant, osq; ſacrum ante fatalem horam prorſus denudatum viſebatur. *Trincavellius* l. 3. Conſil. 85, de muliere refert, cui caſu ab alto in ſiniſtrum latus & dorſi ſpinam, & brachij & pedum motus fuerit impeditus.

HIST. IX.

Pudendi muliebris monſtroſa conformatio.


UXor mercatoris Bergenſis honeſta, annorum 36, primo poſt celebratas nupti-

nuptias anno, qui erat 1652, abortum patitur, & ſequenti 1653. fœtum mortuum edit. Anno 1655 tertium imprægnata, eodem infelici ſucceſſu præſente Medico D. *Joh. Frid. Treublero*, amico noſtro, cujus fide hæc referuntur, in lucem edit infantem mortuum fereq; putridum, debitâ tamen lochiorum purgatione ſequente. Admonuit maritum vir laudatus ut à veneris conflictu tam diu abſtineret, donec ab omnibus impuritatibus ſalutari medicamentorum uſu liberaretur uxoris uterus. Sed poſt poſito ſano conſilio, quartum gravida 10 April. 1657 eadem difficultate, pariq; miſeria infantem enixa eſt mortuum, capite compreſſo & putredine in vertice infantis apparente, unde ſummus fœtor aſſidentium nares feriebat. Lochia ritè fluxere: ſed ſecunda poſt partum die, forſan diætæ errore, in febrem incidit, moriturq;. Quærit ex obſtetrice D. *Treublerus*, an nihil memoriâ dignum in partium genitalium ſtructura obſervarit. Negat obſtetrix ſe quicquam revelaturam contra datam denatæ fidem. Tandem qvum acrius inſtaret, ecce monſtrat cadaver, monſtroſa partium genitalium conformatione ſtupendum, cujus figuram celerrimè expreſſam hanc obtinuit, mihiq;

mihiq; Vir curioſus cum hiſtoriæ enarratione tranſmiſit. Nempe ex vulva membrana carnoſa, vulvæ labiis internè undiquaq; adnata, imò pudendo muliebri circum circa ita connexa, ut inſtar marſupij propenderet. Foramen in principio conſpiciebatur amplius. In congreſſu, ne marito monſtroſa pars innoteſceret, duobus digitis mulier intrudebat ſine moleſtia ulla, ad corporis autem vehementiorem commotionem, aut frequentem deambulationem, longius extra prominebat. Inſtante partu ab obſtetrice interioribus vulvæ parietibus tam aptè affigebatur, ut ne minimum in fœtus egreſſione impedimentum objiceret; foramen enim hujus marſupij poſt intruſionem oſſi pubis adſociatum, tam concinnè dividebatur, ut duabus obſtetricis manibus ſatis amplum relinqueret ſpacium. Non eſſe uteri prolapſum, crebri conceptus teſtantur. Veroſimilius diceres vaginæ eſſe dilatationem, niſi freqventes abortus diſſuaderent. Forſan à nativitate ſuperflua membrana, ſenſim deinde affluentibus humiditatibus intumuit. De mentula monſtroſa inſpiciendus eſt *Hoechſtetterus* Dec. 6. Obſ. Med. caſ. 8.

Figu-

pag 17



Digitized by Google

Digitized by Google

Figuræ Explicatio.

A. Pudendum muliebre.

B. Membrana carnoſa, pudendo muliebri firmiter undiq; adnexa, in nimia corporis commotione inſtar marſupij propendens flaccida, iterumq; in coitu partuve ad inſtruſionem apta.

C. Foramen, quod ad egreſſionem infantis ampliatur, & duabus obſtetricis manibus ſpacium ſatis amplum relinquit.

HIST. X.

Eriſypelas poſt menſium fluxum.

HYbernas curas 1657. in curanda muliere juvencula, boni habitus & plethorica partitus ſum, cui, inter alia conſueta mala, finito menſium fluxu Eriſypelas phlegmonodes brachium dextrum deturparat, quo humerus intumuit, & colore prorſus ſangvineo tinctus inſigni doloris ſenſu medicam manum advocavit. Venam ſani brachij depleri juſſi, unde ſubſedit tumor, calor extinctus & dolor remiſit. Circa noctem tamen rediere ſymptomata eadem.

dem. Exulcerata inde fuit pars, carne emortua ſua ſponte decidente, & per Chirurgum ulcere ex lege artis curato, ſanata feliciter eſt mulier. Peſtilentiæ anthracem dixiſſes, ſi ullum hujus malignitatis indicium comparuiſſet. Regurgitans verò ad ſuperiora ſanguis menſtruus, ſymptomata ſolet inferre quæ malignitatem æmulantur.

HIST. XI.

Gangræna ſubitanea in pedis fractura.

JAcobus Belga in tenebris veſpertinis menſe Novembri 1657 rheda excuſſus, pedem fregit dextrum prope calcaneum, utroq; oſſe extra vulnus prominente. In ſuburbio, quia clauſæ erant urbis portæ, pernoctaturus, abſente Chirurgo, Coprianum ibi habitantem advocat; qui neſcio quæ calida applicat, arctiusq; fracturam conſtringit, unde intra 24 horas gangræna pedem vulnusq; infra & ſupra occupat, ut ſedari à Chirurgo urbis perito Wilhelmo vix potuerit. Poſtridie deliravit. Nonnunquam convellebatur. Febris erat continua.

Octavo

Octavo die à nimio motu irritatus pes, rupta arteria largior hæmorrhagia ſupervenit, quæ ægrè ſiſtebatur. Viſus ſanior pes, ſed delirio, convulſionibusq; per vices redeuntibus, undecimo expiravit.

HIST. XII.

Intumeſcentia corporis vulnerato jugulo.

RObuſtus juvenis, faber ferrarius Generalis Locotenentis Uldarici Chriſtiani Gyldenløw, nocturnis horis menſe Novembri 1657 in platea noſtra à duobus aulicis miniſtris ebrijs circumvenitur, punctimq; gladio duobus locis transfigitur. Primum vulnus prope claviculam dextram anterius inflictum, an ad thymum, vel jugulum, vel pulmones penetraret, non facilè dijudicavimus, conciderant enim labia vulneris, nec ſtilus profundè adigi poterat. Poſterius vulnus alterum prope ſcapulam ſiniſtram thoraci adactum, ſtilo perſequentes, intercutaneum deprehendimus. Sanguis exſpuebatur, difficultas ſpirandi urgebat, tumorq; non faciem ſolam invaſit, ſed univerſum corpus reliqvum, quod ve-

lut ſpongia vento plena, quocunq; tangebatur, palpantibus occurrebat. Poſtridie venæ ſectionem ſuaſi, & inunctiones ex carminativis, quibus nonnihil tumor remiſit, ſed cum profundo ſuſpirio per vices rediit, ſemperq; de ſiniſtri magis lateris dolore quam dextri conqueſtus, ſicco vulnere & ſolidationem urgente, donec quarto decimo die anhelus exſpiraret. In diſſecto cadavere, cætera ſano, nullum vulnus profundum invenimus, nec ullam partem interiorem læſam obſervare potuimus. Sed ingens copia materiæ purulentæ candicantis in ſiniſtra cavitate thoracis inſtar empyematis proſiliit, ſine inſigni fœtore, quæ aliquot menſuras noſtras facilè implevit, & diaphragmati incumbens reſpirandi difficultatem & dolorem ejus partis auxit. Siniſter pulmo inuſitatæ parvitatis, ſed cætera ſine manifeſto vitio. Ex pericardio craſſiſſimo pus quoq; emanavit. Hinc dubium, an ex vulneribus homo perierit, an potius ex apoſtemate thoracis interno, quod forte in conflictu ruptum fuerat. Nullus alioqui ſanguis extravaſatus inventus, paucus in corde & pulmonibus, niſi hinc in thoracem deſtillarit & in pus poſtea ſit converſum. In hujuſmodi vulneribus quomodo effla-

Digitized by Google

efflatio corporis ſequi poſſit, inquirit *Smetius* l. 10. Miſcell. Med. p. 541.

HIST. XIII.

Intumeſcentia ex caſu fortuito.

NObilis Holſati Buchwaldi cubicularius, hoſpitis ſui ancillæ oſculum figere conatus, à puella vi repellitur, qvæ tamen inter hanc luctam & in hoc pudicitiæ pugna, corruit ipſa, & ſcrinio vicino ſiniſtram capitis partem prope ſuturam coronalem allidit, levi cutis læſione inſeqvuta. Hinc propter parcum cruoris fluxum extra periculum, ut credebat, poſita, vulneri ipſa linteum vino & ſaccharo imprægnatum imponit, & munia domeſtica more ſolito obire pergit. Tertio die de dolore capitis ſollicita Chirurgum Flensburgenſem Olaum Richardi advocat, qui nudatæ crinibus parti, cum exigua ſolutio continui appareret, digeſtivum imponit, emplaſtrumq; ſuperaddit. Sed cum dolores necdum remitterent, conſilij auxiliiq; gratia quinto die prima pomeridiana accerſitur *D. Paulus Moth*, Amicus noſter veteri neceſſitudine conjunctus, qui Chirurgum domeſticum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

cum Marco Schmidio Regio Chirurgo, ad impedienda ſymptomata imminentia de vena dextri brachij aperienda conſtituiſſe invenit. Verum ille, qvum pulſum febrilem, totum corpus æſtuans & tumidum, caput planè tuberoſum, atq; ſuperiorum palpebrarum cutim, mirum dictu, gangræna jam defædatam, ægræq; mentem non ſatis ſibi amplius conſtare cerneret, neglectâ phlebotomiâ, vulnus ſatis exile amplâ novaculæ inciſione extendit, mox carpto linteo molliter, quantum fieri potuit, dilatavit, deinde caput fomentatione ex cephalicis roboravit, & palpebris gangrænoſis ſcalpello leniter ſcarificatis linteolum linimento ex Ægyptiaco cum pauxillo ſpiritus vini parato imbutum impoſüit, angulis tamen omnibus probè prius munitis. Circa veſperam ejusdem diei reverſus, tumorem parum remiſiſſe vidit, & pus confectum, ſed parvâ quantitate, carptis linteis adhæſit. Hora una poſt deligationem clyſter evacuationis & revulſionis gratia felici ſucceſſu fuit injectus. Sexto die reducta per noctem quiete, febris remiſerat, & ad interrogata cœpit reſpondere, pusq; laudabile & copioſius profluxit, & capitis tumor detumuit. Sequentibus diebus pus non tantum majori

jori copia prorupit, ſed & per ſuperiores oculorum palpebras gangrænâ ferè conſumptas ſibi viam cum impetu quæſivit, quod in tantum exinde accrevit, ut cutim cum muſculis à cranio fermè ſeparaverit; & niſi ſpleniis aptis & ligaturis commodis illius prolapſus fuiſſet impeditus, ad ipſa tempora ſubjectasq; partes ſibi viam elegiſſet.

HIST. XIV.

Martis Anatome.

IN diſſectione Martis, quem in ædibus meis alueram, interiorum fabricam obſervavi. Peritonæum non comparuit. Omentum verò in marſupio omnia inteſtina includebat, tenue, ſine pinguedine. Inteſtinorum nulla animadvertebatur differentia. Craſſius enim Ileon erat quam Rectum. Cœcum nullum. In medio inteſtini Recti calculi duo plani latebant, ſine dubio cum alimentis aſſumpti. Pancreas candicans. Lien rubicundus, & oblongus. Pallidius hepar, ſex lobis diſtinctum. Veſicula fellis lobo incluſa, quaſi plicatis fimbriis. Ventriculi forma conſueta. Pulmones tribus

Digitized by Google

utrinq; lobis conſpicui. Cor & cætera nihil inſolitum aliis animalibus oſtentabant. Penis oſſeus. Alias in Marte obſervationes videndæ apud *M. A. Severinum* part. 4. Zootom. pag. 317. ſeq. Figuram oſſium expreſſit *Volcherus Coiter*. Sceleton ipſum in Muſæo Academico viſitur, à Prædeceſſore meo Viro Cl. D. *Simone Paulli* exſtructum.

HIST. XV.

Fons medicatus S. Helenæ.

IN Sælandia noſtra prope pagum Tiiſwelde ad maris littus in fiſſura collis elatioris arenoſi, fontes aquæ limpidiſſimæ ſaliunt quam plures, ad quos pluſculis abhinc annis confluxerunt multi, ſuperſtitione majori quam religione, ad varios morbos pellendos, ſola aquæ aſperſione, vel balneo, vel potu ſanitatem ſibi promittentes. Ferunt circa hoc littus appuliſſe S. Helenæ cadaver, quod in tumulo vicino, ſaxis circum ſepto, reconditum creditur, exindeq; ſalutares fontes emerſiſſe. Triplici inprimis fonte ex fiſſura collis exſiliunt aquæ, quæ ligneo ſepimento colliguntur in ciſternam. Unus aquis purioribus ſcaturiens,

tecto

Digitized by Google

tecto ligneo munitus eſt. Tertius ferè exaruit, quia referunt quendam lue venerea vel ſcabie infectum huic ſe balneo merſiſſe. Collis ipſe arena flaveſcente increvit, ſeu marga per laminas quaſi compacta, quæ exili vi pollere videtur, niſi in rotulas reducta ignis vi majorem adſtringendi potentiam nanciſcatur. Ex arenoſo hoc colle paſſim prope littus aqua limpida ſalit, percolataq; nullius odoris eſt aut ſaporis. Crebris deſtillationibus nihil, quod minerale referat, prodire viſum, niſi ex ochra aliquid attrahat. Aliquando tamen vitrioli veſtigia apparuere. In vaſis vitreis puris ad annos quinq; & amplius incorrupta manet, maximo puritatis ſimplicitatisq; argumento. *T. Petronius* tres annos aquam tiberinam incorruptam ſervavit l. 1. de Aq. Tiber. c. 4. Subinde tamen vidi prima hebdomade putreſcere, alienis forſan rebus permixtam. Credit vulgus poſt ſolis occaſum & antequam reſurgat uſui eſſe aptam, præſertim vigilia S. Joannis, quo tempore magno numero undiq; confluunt ægri: Sed alia æſtatis tempora non excludenda, meo judicio, quando nobis ſol verticalis. Manſit hujus feſti religio, quod olim S. Helenæ honori cultuiq; dicaverint has vigilias.

Neq;,ut perſuaſit ſibi vulgus,omnibus affectibus eſt proficua,ſed illis tantũ,qui à cauſa calida ortum trahunt, niſi ſi quis ad balnea & inſeſſus calida uti velit, quo fine in pago vicino Rex Auguſtiſſimus CHRISTIANUS QVARTUS domum cum balneis idoneis publicum in uſum exſtrui curavit.

Inprimis incolæ commendant ad oculorum vitia quæcunq;, quod ex digito S. Helenæ traxiſſe credulitas vulgo perſuaſit. Experimenti hujus multa afferunt exempla, adduntq; ad augendam fidem, fabulam: Quendam nempe experimenti gratia,ſive ut eluderet ſacrum fontem, adduxiſſe eqvum lippientem, vel monoculum; eqvum verò eſſe perſanatum, ſed ipſum dominum idem vitij contraxiſſe, qvumq; ſera pœnitentia ductus ſerò hos fontes conſuleret antea ſpretos, ſine auxilio tamen receſſiſſe. Falluntur, qui in omni oculorum vitio hinc ſperant remedium. In ophthalmia, ubi refrigerio & repulſione opus eſt, prodeſt: at in lippitudine vel catarracta, vel humida frigidave defluxione, cum inſigni valetudinis detrimento adhibetur,quod non ſemel obſervavi. Luxati, contracti,claudi huc quoq; ſpe ſalutis concurrunt,ſanatiq; dicuntur, quemadmodum

erecti

erecti cippi, & relicti pedes lignei teſtantur. Sed ſæpe ſimulati affectus nos deludunt, lucriq; cauſa plures mentiuntur. Non dubito, quia eventum vidi, defluxiones calidas hic temperari, alios quamplurimos, quorum morbi à frigore dependent, fruſtra ex hoc fonte obſervavi quæſiviſſe incolumitatem. Valetudinarius puer, hoc fonte merſus, toto ſtatim corpore intumuit, mox gangrænâ nigrore ſe prodente, præcedenti nocte obiit, quam hæc ſcribuntur.

Fontis laudati originem, uſum abuſumq; & pias quæſtiones ſingulari opuſculo vernacula lingua deſcripſit non ita pridem Vir Doctus & Religioſus *Dn. Ericus Johannis* apud Græſtadenſes & Morumenſes noſtros Paſtor fideliſſimus, ubi fontis decantatum uſum tribus quatuorve exemplis illuſtrat, quæ ipſe ſuis oculis vidit. Non gravabor in gratiam lectorum, qui noſtra non callent, eadem exempla, latio donata, repetere.

Anno 1636 die 4 Auguſti in pago Græſted puella Maria Petri filia ſementi intenta præter ſpem à ſerpente in calcaneo mordetur, unde virus ad univerſum corpus ſerpebat, ut totum intumuerit. Parentes dictum factum ad fontem Helenæ ſacrum fili-

filiam deduxerunt, & conſilio Dn. Erici, non aquæ tantum immerſerunt, ſed aliquot cyathos ipſi in nomine Jeſu propinarunt. Subſedit illico tumor, dolorq; corporis ſedatus, & quieti reddita, continuatoq; aquæ lavacro, poſt aliquot dies excoriata fuit cutis illis locis, quo venenum penetraverat, maculæq; parvæ quales ſerpentum eſſe ſolent, conſpiciebantur. Cæterum ſanitati priſtinæ reſtituta, adhuc inter vivos eſt.

Anno 1641. in eodem pago viduæ pauperculæ Catharinæ Petreæ ſurditas moleſta à defluxu frigido ſupervenit, ut diu audiendi facultate deſtitueretur. Confugit ad ſalutarem hunc fontem, quo aliquoties ſe ab luit, nec ſpe fruſtrata, tantum ſenſit levamen, ut jam laus DEo & concionatorem in templo, & aliorum amicorum colloquia accuratè audire queat.

Anno 1645 die 23 Auguſti, Laurentius Petræus ex Sundby parœchia ad Dn. Ericum acceſſit, retulitq; ſe quinq; annorum ſpacio mutum fuiſſe, loquendiq; facultate de repente privatum, remedioq; fuiſſe fontes noſtros, quibus, invocato prius divino Numine, aliquoties ibidem ſe abluerat, horis antemeridianis ſubmiſſam vocem exortam, poſt meridiem adhuc cum diffi-

culta-

coltate loqvutum, certò autem ſe credere, ſi ex uſu tore judicaverit DEus, uſu lympharum planè ſe iri reſtitutum.

Anno 1646 in ædibus Paſtoris Græſtediani puellæ cuidam Chriſtinæ Petri filiæ tanta defluxio femori dextro incubuit, ut nec ſtando nec ambulando requiem dolorum inveniret, auctoq; deinde malo, circa genu ulcuſcula 14. exorta. Interea apud fontes laudatos, invocato prius, ſupplice voto, JEſu nomine, ſe diligenter abluit, terq; lota tandem ſanitatem recuperavit, DEiq; miſericordiam grata voce ubiq; deprædicat.

Anno 1648. vere primo juvenis quidam ruſticus Nicolaus Petri filius, in agro operas ſuas curans, oborta nube quaſi denſa ante oculos, viſum amiſit. Lumine caſſum ſæpe confeſſionarius inviſit, ſolabaturq; remediumq; ſuaſit, pacato prius Numine, fontes pio animo plenaq; in DEum fiducia, adeundos. Sanum iſtud conſilium ſeqvutus, viſum recuperavit, ut operibus ſuis vacare, ut antea, expeditè poſſit.

Fontes laudatos ſæpius inviſit & in precio habuit Rex nunquam ſatis laudandus, divus CHRISTIANUS IV. qui ut ſecurius & ſibi & ſubditorum ſaluti illis proſpiceret,

ret, Magni Medici *D. Thomæ Finckij*, Medicæ Facultatis in Academia Regia Haffnienſi ſupra 56 annos Profeſſoris, Senioris & Decani, judicium clementiſſime expetiit, cujus Reſponſum ſubjungam ex Ciſta noſtra Medica depromptum.

Quandoquidem Regia Majeſtas clementiſſimè ex ſubjectiſſimo meo reſponſo intelligere voluit, an ſecurè & ſine ullo periculo aqua fontis Helenæ bibi poſſit, hæc obſequio ſubjectiſſimo priori meæ de immiſtis ſubſtantiis ſententiæ adjicere debui: ſiquidem terra vel marga, bolo & terræ ſigillatæ non admodum diſſimilis, aquæ ſine dubio immiſta, hic reperitur, non poſſum non concludere, quod aqua hæc in affectibus nominatis, in deſtillationib⁹ ad pulmones, & ſanguinis ſputo, aliisq; ſanguinis fluxionibus hepaticis, hæmorrhoidibus, menſtruis, dyſentericis, imò febribus Hecticis, corporibusq; à putredine & malignitate præſervandis, viribusq; cordis conſervandis, aliisq; ejus generis, ſine damno potari poſſit, potiſſimum ad Medici prudentis conſilium cum acetoſæ, acetoſitatis citri ejusq; generis ſyrupis aliis, pro & ſaporis gratia & ſitis ſedandæ neceſſitate. XIX. Jan. 1645.
T. F. D.

HIST.

HIST. XVI.

Ruminantis hominis Anatome.

P. *Aponenſis* ſect. 10. Probl. 44. fibras transverſas in interiore gulæ tunica ruminationis ſeu pabuli ex ventre ad os retroceſſionis cauſam dicit, quem fuſius explicat *Jo. Æmylianus* ſyntagm. 1. de Rumin. Hiſt. Monacho Benedictino, S. Juſtinæ Patavij geminum fuiſſe ventriculum, qvum ruminaret, putabat *Jo. Th. Minadous.* Aperto verò defuncti cadavere, quod me monuit *Jo. Rhodius*, Polyhiſtor magnus, repetitq; Cent. 2. obſ. 59. oeſpohagum undiq; muſculi inſtar carnoſum deprehendit *Fr. Plazzonus* Anatomicus Patavinus, reliquis partibus rectè ſe habentibus, niſi quod duo habuerit Monachus cornua. Ruminantes enim beſtiis affines, ferè cornua habent, ut alter ruminans Patavinus teſtatur, de quo agit *H. ab Aquapendente* de Var. ventriculor. p. 135. Ruminantem hominem quoq; vidit *Salmuth* Cent. 1. Obſ. 100. Jo. *Faber*, ut teſtatur *P. Caſtellus* l. 1. Emetic. c. 4.

HIST.

HIST. XVII.

Virgo X annorum nupta & juvenis XII anno generans.

ANtiquitatis normam in feminis benè poſitam, in ſuo ordine reliquit Imperator *Juſtinianus* tit. 22. Inſtit. ut poſt duodecim annos completos Viri potentes eſſe credantur. Vidimus tamen in hoſpitio noſtro Lugduni ad confluentem Rhodani & Araris, ſervam grandævam, quæ olim anno ætatis ſuæ decimo nupta Viro 38. annorum, ætatis duodecimo puerpera fuerat. Cujus etiam in patria exemplum meminimus. Inter Brachmannas in India id uſitatum, quæ quinto, ſexto &c. anno elocantur, puerperæ nonnunquam ante decimum annum fiunt. Sexto ætatis anno quandam infantem maſculum peperiſſe refert *Joh. Albertus Mandeſloo* l. 1. Itin. Oriental. c. 39. De Marſilio Patavo narrat *Jo. Mich. Savonarola* tr. 6. Pract. Maj. rubr. 6. quod viderit puellam Papiæ annorum IX. imprægnatam. *M. Ant. Ulmus* l. de Uter. Mul. ſect. 1. c. 10. novit puellam octennem quæ virum deperibat, & illo fruebatur.

Maſculis pubertatem poſt XIV annum com-

Digitized by Google

completum initium accipere, idem *Imperator* prodidit, cui conſonat *Galenus* noſter comm. in 5. Aph. 7. Ante hunc verò annum maſculos progeneraſſe exemplis conquiſitis docet *Schenckius* in Obſervationibus. Anno 1621 Bergis Norwegorum puer XII. annorum puellulum progeneravit, nec ipſo nec matre diffitentibus. Epiſcopus loci ad Patrem meum beatum perſcripſit, pleroſq; ibi exiſtimare per naturam id fieri non poſſe. Ille verò reſpondit, raro id fieri, quia raro ad venereos complexus admittuntur pueri, quod impotentes credantur.

HIST. XVIII.

Tonſillarum exulceratio.

INflammationis tonſillarum curatio traditur à *Celſo* l. 6. c. 10. & *Paulo* l. 6. c. 30. Ibidem quoq; exulceratio illarum expenditur, cujus tamen non ſemper optatus eſt ſucceſſus. Ulcus enim ſubinde non admittit conſolidationem propter humiditates continuò affluentes. Nuperis annis Conſobrino meo ſvaviſſimo Theodoro Fuiren poſt febrem tonſilla ſiniſtra in faucibus, abſceſ-

ſceſſum paſſa eſt. Poſt curationem ſinus relictus cavitasq; remanſit, quæ deinceps ex pituitoſo capite excepit pituitam ſeu ſerum tuſſi ſocia continuò irritans, cui, in conſenſum tracto ventriculo, vomitus ferè jungebatur, ut nihil ex cibis aſſumptis retinuerit; quanquam ventriculus aſſumpta ægerrimè remiſerit, vacuusq; doluerit. Nonnunquam pure concreto, eſcharam æmulante, excreato, ingens hæmoptois ſeqvuta. Gargariſmatis, linctibus, aliisq; purgata quidem per vices cavitas, concretaq; ibidem pituita expulſa, ſed recurrente ad partem exulceratam fluxu, idem incommodum rediit, ut tandem ciborum abſtinentiâ, atrophia ſucceſſerit, viribusq; ſenſim attritis, fatis ceſſerit XV. Januar. 1656. Vir candore, omnibusq; virtutibus conſpicuus, nobis omnibus triſte ſui deſiderium relinquens.

HIST XIX.

Vena ſponte aperta.

NUtrix Jacobi filioli Viri Clariſſimi M. Eraſmi Pauli Vindingi, Regij Profeſſoris & Affinis noſtri ſuſpiciendi, lactis uber-

ubertate per tiennium menſibus deſtituta, cætera ſana cum menſe Octobri 1657 commiſſum ſibi puellulum tractaret, animadvertit ſanguinem ex dextræ manus ſalvatella ſponte exſilientem, quaſi acu puncta. Teſtabatur verò nullam vim venæ quocunq; modo à ſe illatam, ſeu acu, ſeu alio inſtrumento, ſed ſponte apertam eſſe venam, ut vinculo neceſſe fuerit cohibere. Spontaneam ſanguinis è baſilica dexti brachij eruptionem, notavit *Hechſtetterus* decad. 2. Obſ. 7. & ex ſaphena *Schenckius*. Venæ ſectioni aſſueti ſtatis vicibus in vena pungi ſolita, titillationem ſentiunt, quaſi Natura ad ſolitas evacuationes monente. Sponte verò aperta vena, vel cutis vaſorumq; ſubtilitatem vel ſangvinis tenuitatem indicat, quæ cauſa quoq; eſt, quod nonnulli ſanguine ſudaverint, de quibus egimus *Hypomn*. 4. de ſud. ſang.

HIST. XX.

Vermes in Variolis.

CUm variolæ infantes adultosq; 1656. per univerſam patriam defædarent, & ſequenti anno per multorum mortes vaga-

rentur, obſervavit Bergis Norwegorum D. *Joh. Frid. Treublerus* in filiolo lanionis Andreæ Tritt, quatuor annorum, qui variolis decumbebat & jam vix ſpiritum amplius haurire poterat, vermem ſpithamæ longitudine è naribus extractum ab aſtantibus, quo extracto, ſtatim è vita exceſſiſſe. De variolis verminoſis plura annotavit multiſcius noſter *Joh. Rhodius* Cent. 3. Obſ. 64.

HIST. XXI.

Stranguria ex cantharidibus.

Corpori foris applicatas Cantharides mictionem ſangvinis provocare prodidit Jo. *Langius* l. 1. Epiſt. 47. *Capivacceus* l. 7. Prax. c. 11. *Hildanus* Cent. 6. obſ. Chir. 98. aliiq;. Negat id Cl. *Sennertus* l. 6. Prax. part. 8. c. 26. Nam etſi ſexcenties veſicatorij loco iis uſus ſit, nunquam tamen tale quid obſervare potuit. Mirum id certè. Nam quoties non ita pridem Hafniæ Conſobrino meo dilectiſſimo Theodoro Fuiren, Pariſthmiarum exulceratione afflicto, veſicatoria ex cantharidibus pone aures & in nucha applicarentur, toties difficulta-

tem

tem urinæ expertus eſt. In matrona ſimile annotat magnus noſter *Rhodius* ad Scrib. compoſ. 189.

HIST. XXII.

Tartarus Cydoneorum.

STomacho utilia eſſe poma cotonea *Dioſcorides* prodidit l. 1. c. 161. conſentitq; paſſim *Galenus*, & *Platearius* de ſimpl. Med. l. M. c. 11. inſigni nempe adſtingendi facultate. Incommoda tamen vini cydonitis deſcribit variis in Ungaria exemplis *Thobias Coberus* dec. ſecunda obſervat. Caſtrenſ. & Ung. 9. eorum qui poſt uſum in Iliacos & colicos dolores inciderunt. Sed commoda iſtius vini in roborando ſtomacho non ſemel ſum expertus. Notandum tamen ne impuro ventriculo committatur, quia ſuppreſſio ſequitur pravorum humorum, quod in allatis evenit exemplis. Notat quoq; *Dioſcorides* l. d. urinam ciere. Unde Rex Neapolitanus Alfonſus ex eſu horum in diabetem dicitur incidiſſe apud *Mich. Joh. Paſchalium* l. 1. Meth. cur Morb. c. 50. quem damnat Joh. *Matthæus* Quæſt. Med. 54. propter manifeſtam vim adſtingendi, adeoq;

Digitized by Google

Dioſcoridem de magnis cotoneis ſeu Galeni ſtruthiis explicat, quæ dulcedinis nonnihil habent. Sed eadem ſtruthia contra alvum citam in vino commendat ibidem *Dioſcorides*, & *Galenus* l. 2. de Alm. Fac. ſtruthiorum malorum ſuccum adſtringentem concedit, quanquam minus quam cydoniorum. Poſt cibum alvum laxant, adſtringunt ante paſtum ſumpta. Cur urinam moveant ex ſequenti experimento forſan innoteſcet. Cydoniorum ſuccum ſine ſaccharo vel melle coctum in vitro ad uſus repoſuerat Eſaias Fleiſcher Pharmacopola urbis noſtræ primarius. Poſt ſemeſtre ſpatium forte inſpiciens vitrum, vidit lateribus affixos tartaros velut cryſtalliſatos, quos collegit, ſervavit, mihiq; pro re inſolita monſtravit. Sapor illis gratus acidiuſculus, ſtomachoq; perutile medicamentum, & diureticum. Similis tartarus in ſero lactis Tamarindis ſeparato, quod ad laxandam alvum ſvaſimus, in fictili obſervatus nuper Cl. Viro M. *Eraſmo Enw. Brochmanno* Profeſſori Regio, Collegæ noſtro æſtimando, unde, metu calculi, eo poſtea abſtinuit.

HIST.

HIST. XXIII.

Colica lethalis poſt purgationem.

VIr Clariſſimus M. Severinus Petræus Phil. Pract. P. P. annorum 50 Cachecticus & Scorbuticus, menſe Novembri 1657, præter conſvetudinem, cætera ſanus, proprio conſilio aſſumpſit purgantem medicinam ex ſpeciebus Dialappæ ad ſcrupulum unum, in officinis noſtris uſitatæ. Decies & ter ſoluta illi fuit alvus, ſine inſigni moleſtia. Circa veſperam loco juſculi ab uxore præparati, pultem ſumpſit. Poſtridie ſummo mane ventrem ceſſantem ſollicitaturus, frigido aëri humido & nivoſo ſe commiſit. Hinc in muſæum reverſus tormina inuſitata univerſi abdominis ſenſit, quibus inguina in tumorem elevata, viresq; ſubitò conciderunt, ut de ſalute deſperarit. Advocatus ego vix micantem pulſum inveni, mirabarq; ſubitaneum virium lapſum. Ille verò ad mortem compoſito animo, mihi uxorem liberosq; commendans, de nullo alio ſymptomate conquerebatur, præter tormina. Ego colicam ratus, vacuis poſt largas dejectiones inteſtinis in hypochondriaco, ſacculos calidos ex carminativis

tivis applicui, aquam carminativam exhibui, & clyſteres ex lacte, Fl. chamom. Sem. carvi &c. injici curavi, quos licet refugeret, nunquam alias ipſi uſitatos, victus tamen dolorum impatientia, diebus ſequentibus admiſit, eductisq; pituita viſcida & flatibus, remiſerunt quidem tormina, ſed vires proſtratæ refici non potuerunt, quia omnia ciborum genera averſabatur. Octavo die in deterius cuncta ruere, extrema frigere, intercepto pulſu de vita conclamatum. Qvumq; cordialibus nihil proficeremus, dolore ſtomachum occupante, compos mentis nono die, ipſo novilunio, placidè exſpiravit. Malignitatis ſuſpicionem ingerebat eventus inopinatus, ſive quod purganti pulveri in officina aliquid ſit à vicinis urceis affrictum, ſive quod in corpore cachectico per medicamentum commoto deliteſcens virus ſe exſeruerit. Aſſumpta quotidie revomebat & dolores pertinaces vel iliaci principium indicabant contortis circa inguina inteſtinis, vel à medicamento eroſa inteſtina ſuſpicionem dubiam ſuggerebant.

HIST.

HIST. XXIV.

Pili Urſini in puero.

BErgis Norwegorum apud Petrum Hiermind 1657. famulatur puer, cujus pili prorſus urſinos pilos referunt & colore & figuræ ſimilitudine. Monſtroſos pilos à Matre contraxit, quæ in oppido Housgield habitat. Gravida illa qvum ſacræ ſynaxi intereſſet, attentis nimium oculis novam Urſi pellem contemplabatur, quæ nuper, pro more loci, ad aram ſtrata fuerat. Adolevit jam ad juſtam hominis magnitudinem, ſed barbâ caret, quæ qualis ſit futura, ſeqvuturum tempus edocebit. Janus Buggeus, bonarum literarum ſtudioſiſſimus, Bergis per Petrum Eraſmium Trivialis Scholæ Collegam benè meritum, hæc ad me detulit.

HIST. XXV.

Emplaſtra in Nucha.

PRo Epilepticis aliisq; capitis affectibus emplaſtrum ex gummatibus in nucha geſtatum prodeſt, quod magno levamine

expertus eſt conſilio Empirici Vir quidam Generoſus, ſive quia vaporum calidiq; ſanguinis ad caput impediat adſcenſum, ſive quod vellicantes humores à nervorum principio abſumat. Tria ſucceſſivè imponuntur. Singula, donec ſponte decidant, in nucha relinquenda, quod ad aliquot hebdomadas protrahitur, deinde calida aqua abluendus locus, ut aliud applicetur. Ita temporibus utrinq; & fronti emplaſtra ex tacamahaca, caranna &c. impoſita, à dentibus, ab oculis &c. depluentes humores intercipiunt, viaſve in venis adſtringunt. Damnat illorum morem *Sanctorius* l. 4. Meth. Vit. Error. c. 5. & 13. qui cerata & emplaſtra tam diu relinqvunt, donec ſponte cadant, quia nihil ab aſſuetis emolumenti. Sed ubi adſtrictione opus eſt & interceptione, non ſine detrimento ſæpius mutantur. De nucha illud monendum, ſedulo cavendum ne in ſetaceis tendines læ-dantur. Novi enim Capitaneu m, cui ſetaceo læſi hi, ea parte perpetuum dolorem intulerunt, quanquam oculorum vicio liberatus ſit.

HIST.

HIST. XXVI.

Inſtrumentum pro ventriculo eluendo.

PAulus *Ægineta* l. 6. c, 32. pro eximenda gutturi ſpina ſpongiam exiguæ magnitudinis lino illigatam deglutire jubet, linóq; apprehenſo retrahi. Aliis inſtrumentis idem artificium æmulantur *Hildanus* Cent. 1. Obſ. Chir. 36. *Aquapendens* in Oper. Chir. Non ita pridem in vicinia noſtra ingenioſus homo virgulam flexilem, mollem, & oblongam, cui ſcopa ex linteis carptis alligabatur, in uſum traxit, quam pro lubitu per fauces in ventriculum demittebat, ad eluendum ventriculum ejuſq; ſordes, & ſine nauſea retrahebat. Si quis imitari volet, cavere debet, ne vel virgula frangatur, vel ſcopæ faucibus inhæreant. Cannulæ ſeu fiſtulæ cum veſica uſum in Angina laudat *Capivacceus* l. 1. Prax. c. 53. ad ingerendum ventriculo cibum. *Ægineta* l. 4. c. 57. fiſtulam clyſteri alligatam habet, ut pueris amara per os intrudat. Idem *Capivacceus* candelam ceream in gulam immittit in læſa deglutitione. *Barthaſar à Blyenburg* Medicus doctiſſimus incurvum ſyphonem poſſidebat, quo in omnibus catarrheumatibus

uſus

uſus eſt, aſſeruitq; velut incantamento quodam non ſolum à capite defluentes humores excipere, ſed & in profundo corporis ventriculoq; impactos elicere. Figuram ſiphonis depingit *Ronſſeus* Epiſt. Med. 47. ſed non approbat, quia ſubvertat ſtomachum, & nauſea cibiq; faſtidium oriatur,& quanquam crudum expurget humorem, eidem generando novam ſuppeditet materiam. Quæ incommoda, meo judicio, vitari poſſunt, ſi finita ciborum concoctione & diſtributione dextrè inſtrumentum ingeratur. *Columella* l. 6. R. R. c. 18. hirudinibus *deglutitis medicamenta per fiſtulam & per cornu in ventriculum infundit.*

HIST. XXVII.

Virgo Cornuta.

ME præſente Anatomicus ſummus *Jo. Veſlingius* virgini clauſtrali Patavinæ annorum ætatis ſexaginta, in cœnobio S. Sophiæ, precibus ejuſdem victus, corniculatam epiphyſin exſcidit, in frontis elatiore parte ſiniſtrorſum enatam. Subſtantia cum vaccino cornu eadem erat, durities, lentor, ac color ſimilis. Ex ampliore baſi pau-

Digitized by Google

paulatim in acumen ſurſum extollebatur, extremo nonnihil inflexo, longitudine digiti articulum & latitudine adæquans. Reliquias, cum ſæverius remedium abhorreret, chalcanthi ſpiritu exedere conatus eſt. Attamen cum pullulare denuo veluti radiculas videret, ignis expoſuit neceſſitatem, & *Hippocratis* illud objecit, ἀνίατα εἶναι, ὅσα πῦρ ἐκ ἰῆται. Alia cornutorum exempla in *obſervationibus de Unicornu*, & *Cent. Hiſt. Anat.* ſignavimus. Unum hic addam à magno Viro *D. Jo. Caſp. Bauhino* Baſileenſium Celeberrimo Profeſſore, mihiq; multis nominibus ſuſpiciendo, olim amicè communicatum. George Cheuffroy de Montbazon tertio lapide de Turonum Galliæ civitate diſtans ſartor, ætatis ſuæ præter propter Sexageſimo anno, 1630. ex lapſu contuſionem bregmatis dextri paſſus eſt, qua, ut credebatur, in ſpeciem ſanata, paulo poſt juxta aurem dextram graviſſimo dolore oborto, materia carnoſa pullulavit, ex hac tanquam ex radice materia dura, quæ indies aucta eſt, & tandem in cornu abivit, quod ſive formam, ſive duriciem ſpectes ſimile arietino fuit. In radice dolorem ſenſit ſatis acrem, præcipuè ſi cornu illud moveretur, ſenſu alioqui deſtitutum. Sunt hæ

hæ melancholici ſucci progenies, quod alibi probatum, & teſtatur cornu illud vetulæ ſupra Zigoma apud *Petrum Eſtanove* chirurgum Monſpelienſem in obſervat. 6. *Riverio* communicata, quod ſponte decidit, & illius loco cancer obortus eſt.

HIST. XXVIII.

Longævitatis exempla nupera & Cauſæ.

VAria longævitatis extant in ſacris exempla, quia ſimplici olim victu contenti fuere. Defecere exinde nobis anni, quia auctus luxus, rariq; numerantur, qui ad tot annos vitam producant. Multos ex infima plebe novi ætatis annos ſupra centeſimum numeraſſe, quibus tamen ſecurè credi non poteſt, quia conjectura potius quam accurato calculo annos ſupputant. Nolo aliis memorata referre, paucis, nuperq; editis, contentus. Johannes de Temporibus Gallus, tempore Caroli Magni, 300 annos fertur vixiſſe. Quidam ex genere Bengala Luſitanus ſuperavit annum 335, imperante Joanne Tertio Rege Luſitaniæ, ut ſcribit *Auctor Hiſt. Luſit.* Antwerp. edit. 1621, De Ahaſwero quodam Ebræo, ſutore

:roſolymitano fama fert, paſſioni
. ſalvatoris interfuiſſe, & adhuc per
vagari. Publicè impreſſa extat nar-
Pauli Eitzen S. S. Theol. D. & Epiſ-
leswicenſis, qui vidit Ebræum Ham-
1547, nudis pedibus, ſtatura procera,
prolixis, & ſumma animi devotione
ɔmen inclamantem, narrantemq; ju-
.e quæ geſta fuerant tempore paſſionis
i, Apoſtolorum & ſequentium utri-
mperij Principum. Impoſitam ſibi
per orbem univerſum errandi pœnam
, quod oſtio ſuo, ubi quieſcere ad cru-
pplicium ducendus voluit, acerbis
s ſervatorem ſubmoverit. Quanta
iiſtoriæ ſit fides habenda, judicet le-
Ego parum fido, quia tacet Ecclesia-
Patrum Hiſtoria, in minoribus ſubin-
curata. Noſtro ſeculo Thomam Parr
um 130 annus exceſſiſſe, noſtrorum
ıorum Annales teſtantur. Natus is
oratur A. 1483, faſces regni Britanni-
rente Eduwardo Rege quarto, vixitq;
ınum 1635, 22. Novembris diem, ſub
ne Comitis Arundeli. Anno ætatis 80
ıam uxorem duxit Janneam, ex qua
io 32 annorum, duos tantum filios ſuſ-
t vitæ brevioris, primus enim vix men-
ſem

ſem explevit, alter paucos annos ſupervixit. Alteram uxorem poſt prioris obitum, in thalamum decennio viduum induxit ſenex annorum 120, quacum adhuc 1635 vixit. Viduus autem anno ætatis 115 amore Catharinæ Milten deceptus, eandem inſigni corporis robore compreſſit. Non abſimilis huic fuit Avus *F. Plateri*, de quo in Paradox. Quæſt. qui poſt 100 annum filium ſuſcepit. Homo præſumitur vivere ad annos 100. *l. 56. ff. de Uſu fruct. l. ult. Cod. de S. S. Eccleſiis, & Novell.* 9. cujus legis rationem expendit *Bronchorſt* in Cent. Quæſt.

Longævitatis princeps cauſa eſt ſimplex victus Patribus olim uſitatus, quo etiam Eremitæ quamplures conſenuerunt: Saturni ævo morbis infeſtatos non fuiſſe mortales, adeoq; nec cita morte præreptos Dicæarchus apud *Porphyrium* l. 4. de Abſtin. teſtatur, quod carnibus abſtinuerint, ſponte ex terra naſcentibus contenti, atq; ita ſumma illorum vitæ fuerit cum ocio, ſanitate, pace, amicitia & neceſſariorum in futuros uſus ſegnitie. Felices quoq; bene nati, quiq; connatum robur temperantia conſervant.

Ingluvies omnium morborum mortisq; eſt cauſa. In ſimplicibus alimentis cavendam

tiam ſatietatem monet *Porphyrius* l. 1. pleno carnium variarum victu ſapia- Aloiſius Cornelius Venetus ad libel- vixit, qua annum 97. attigit, tenera valetudinis proſtratæ, ſolâ temperan- pro paſtu enim Uncias 12 cibi, & 14 aſſumpſit, ut docet ipſe *lib. de Vita ſobria.* ›mas Parr lacte, butyro, caſeo, allio &c. :ebatur, tenuiq; ſalina contentus, ſerum abat, rarò cereviſiam, nunquam vinum. antum huc conferat animus ſemper ſibi ilis, nullisq; paſſionibus in tranſvorſum otus, effari nequeo. Nolo veterum Stoi- rum exemplis me tueri. Avus meus ma- rnus D. *Thomas Finckius* (priori ſeculo li- is, Geometria Rotundi, Horoſcopia &c. oc ſeculo liberis clarus; numeravit enim beros, nepotes, pronepotes, abnepotes 7.) annum ingreſſus erat 96 hac animi onſtantia, & diutius vitam in ſenio vege- am protraxiſſet, niſi febris filum abrupiſ- ſet. Per univerſum vitæ curſum à ſe pom- pam removit, & uſu rerum ornamenta me- tiebatur. Teneram ætatem ægritudinibus habuit obnoxiam, ut Medicus curæ illius præfectus ſpoponderit parentibus, omnes itinerum vias, quas emenſurus eſſet, auro ſe obducturum. Cæterum à longa peregrina-

tione redux, prognoſticum eluſit temperantia & morum facilitate. Coërcuit luxuriam, gulam temperavit, cui tamen neceſſaria ſuggeſſit etiam durioris ſubſtantiæ, quæ libentius avidiusq; appetebat, quam cupedias; divitias æquis oculis aſpexit, frugalitatem coluit, & animum metu vel gaudio affectum, ſub vinculis habuit, iracundiam linivit, adverſitates ſprevit, & quamquam liberorum, Generum, Nepotum, abnepotum, Affinium amicorumq; ſæpius funera audiverit, & inter tot vitæ grandævæ moleſtias verſaretur, conſtanti tamen animo omnia perpeſſus nunquam lacrymas fudit niſi defunctæ conjugis & Bibliothecæ Vulcano conſumptae, memoria recurrente. *Auguſt. Thonerus* l. 6. Epiſt. Med. 4. fusè recitat cauſas, ob quas ad annum 82 ipſe pervenerit. Quin medicamenta currentis naturae curſum ſubinde adjuvent, dubitari non debet. *Democritus* interrogatus, quibus mediis tantam ætatem attigiſſet, reſpondiſſe fertur, intus melle, extra oleo, cujus unctionis utilitatem probat *Verulamius* in Hiſt. Vitæ & Mortis. *Riolanus* jam ſenex valetudinem ſuam crebris venæſectionibus adſcribit. Quibus mediis *Poſtellus* canus, nigros cum juventute receperit capil-

los

los, memorat *Raynaudus* c. 2. l. de converſ. cler. cum fem. ubi & ex literis Indicis ad *A*.C. 1603. refert, quendam annos 370 attigiſſe. Conſultiſſimus Vir *D. Pieruccius* Ictus Patavinus, magni *Scioppij* hoſpes, de Germano quodam in Italia degente mihi fidem fecit, quod 60 ætatis anno dentes novos & nigros capillos ſibi refecerit ſolo Ellebori nigri Extracto cum vino & Roſis, & ad plures annos ævum extenderit. *Jo. Erneſtus* Tr. de oleis chym. deſt. miris encomiis hoc extractum proſequitur, protrahere nempe vitam ad 120 annos, & ulterius, ſenibusq; vigorem adeo reſtituere, ut juveneſcere videantur. *Sanctorius* pilulas habere ſe jactabat, quibus in agone exhibitis, vitam ad 24 horas ægris protraheret. Si promiſſis eventus reſponderet, anticipari poſſent horæ novâ pilularum doſi, & in æternum ſuperviveremus, ut jocabatur J. *D. Sala* Vir gravis, facætus tamen & humanus.

HIST. XXIX.

Laryngis prolapſus.

GAlli gallinacei caput ad ædes meas attulit amicus, cui in faucibus tumor ro-

tundus, rubicundus, quaſi oculis, palpebris & oſculo donatus, conſpiciebatur. Territi eo domeſtici caput amputarunt. Per os foramen patebat. Oeſophagus liber erat. Preſſius intuentibus videbatur eſſe aſperiæ arteriæ caput, neſcio quo vitio ad exteriora prolapſum & dilatatum. Rem viſam ſequens idea exprimit.

HIST. XXX.

Diabetes in Sene.

Diabeten, rariſſimum affectum renum & veſicæ, ſimilem eſſe ventriculi inteſtinorumq; lævitati, *Galeni* eſt ſententia l.6.de Loc.Aff.c.3. Hic cibus per alvum, ibi potus per veſicâm celeriter impermutatus excernitur, nec pot⁹ tantum, qui quo ſimplicior eò minorem perfert mutationem, ſed quævis aſſumta liquida celeri curſu, eodem ſapore, odore ad veſicam permeant. Qvum ætatis anno 68 Magnificus Reg. Maj. Cancellarius Dn. CHRISTIANUS THOMÆUS SEHSTED, literatorum Patronus, fractus curis æſtiva tempeſtate 1657. & maraſmo ſenili contabeſceret, reſtaurantibus ſuſtineretur, emulſiones & conſummata biberet, teſta-

pag. 52.

2



Digitized by Google

Digitized by Google

teſtabatur mihi inclytus Heros, ſtatim poſt ſumptum conſummatum, copioſam urinam reddi eodem odore tinctam quo fuerant aſſumpta. Ut mirum non ſit maraſmum tales affectiones comitari, ubi tanta celeritate per lacteas venas ad renes decurrunt alimenta.

HIST. XXXI.

Elephanti docilitas.

DE ſolertia & docilitate Elephantorum multa varij prodiderunt, *Plutarchus* de ſol. Animal. *Lipſius* in Epiſt. *Chriſt. à Coſta* de Aromat. &c. Singulis plenam fidem do, quia ipſe oberrantem per Europam Elephantum vidi, gladio pugnare, bombardam minorem explodere, nummos venari proboſcide ex aſtantium crumena, pileo ſpectatores ſalutare, eundemq; capiti poſſeſſoris reponere, genua ſubmittere, procumbere, ſubitoq; iterum reſurgere, proboſcida ad nutum adſcendentis cuſtodis flectere, & reconditos in faucibus nummos educere. Adeò verum eſt *Plinij* l. 8. c. 1. proximum eſſe humanis ſenſibus, quippe intellectus illis ſermonis patrij, & imperiorum ob-

Digitized by Google

oedientia, officiorumq;, quæ didicere memoria. P. Crinitus lin. 5. de Honeſt. Diſc. c. 13. funambulos ex *Seneca* & *Plinio* probat. Cætera de Elephanto apud Autores videantur, inprimis *Petrum Gillium* in Elephanti nova deſcriptione, miſſa ad Cardinalem Armaïgnacum ex urbe Berrhoëa Syriaca; *Chokierum* Fac. Hiſt. Cent. 1. c. 36. qui in hunc ſenſum varia ex variis congeſſit. Conſtantiam verò & fidelitatem exemplis novis comprobat Polytropos *Ad. Olearius* l. 3. Itin. Ind. Mandeſl. p. 202.

HIST. XXXII.

Menſtrua per vomitum.

ANnus volvitur, ex quo ſolitæ menſium purgationes mulieri Hafnienſi ſubſtiterunt. Statis verò menſium vicibus vomitum ſanguinis, ſatis ſubinde grumoſi patitur, ſine ulla de liene quærimonia. Hanc viam frequentius in virginibus quam mulieribus affectare menſtrua notavit *Hippocrates* l. 1. de Morb. Mul. Ex pulmonibus ſanguinem prodiiſſe in Catharina filia Franciſci Chardon ob diu ſuppreſſa menſtrua obſervavit *Jo. Chiffletius* Obs. Med. 25.

quam

quam ideò phtiſicam fore divinavit, quia natura viam ſolitam noluerit repetere, licet omnibus tentatis remediis. Idem per tuſſim *Chriſtoph. Bennettus* Theat. Tab. Veſtibul. Exerc. 14.

HIST. XXXIII.

Menſtruus fluxus in juvene.

PAtiuntur & mares magno valetudinis commodo fluxus menſtruos. Famulo primarij mercatoris Haffnienſis ſingulis menſibus ordinato fluxu ſanguis per inferiora expurgatur. In Lotharingia & Germania viſos nonnullos à ſe teſtatur *Andr. Lacuna* p. 7. de Meth. cur. Carunc. qui purgationes muliebres ordinata viciſſitudine paterentur, ac lac in mammillis gignerent. Judæi per naturam habent fluxum ſanguinis per virgam ſecundum lunam quibusdam guttis, ut mulieres, ſi credimus *Michaeli Scoto* c. 10. Phyſiogn. Hæmorrhoidas menſtruas viris erupiſſe teſtantur *Amatus Luſitanus* Cent. 5. Cur. 3. aliiq;.

Digitized by Google

HIST. XXXIV.

Ex pilorum tractione mors.

IN menſa ſimul diſcumbentes amici duo in patria, neſcio quam ob cauſam diſſentientes, invicem pugnis commiſſi ſunt. Surgens primus alterum è regione ſedentem capillis comprehenſis concutit, ut ſubito exanimis concideret. Delata re ad Academiæ Regiæ Theologos, reus homicidij adjudicatur ille. Duplex hujus mortis repentinæ cauſa eſſe potuit, vel Apoplexia, vel Cardialgia. Apoplexia agitatione ſpirituum turbatorum in valida concuſſione, & ventriculorum exinde conſtrictione induci potuit, ſive ruptis in cerebro vaſis, ſive alio humore concitato. Hinc ſola alapa nonnullos paucis horis interiiſſe teſtantur *Benivenius* Obſ. Med. c. 110. *Hildanus* Cent. 6. Obſ. 11. *H. Saxonia* Præl. Pract. part. 1. c. 12. *Camerarius* Cent. 10. Mem. Med. part. 43. & alia quacunq; cerebri concuſſione, *Horſtius* l. 2. Obſ. 5. *Dodonæus* Obſ. Med. 1. Ictu ſiniſtri oculi vehementiore, *Fernelius* l. 2. de Abd. Rer. Cauſ. c. 15. qui in aperto capite veram mortis cauſam invenit, venas contuſionis vi diſruptas, è quibus ſanguis

guis cochlearium duorum menſura in cerebri baſin procubuerat. Ex vulnere igitur quocunq; etiam externo capitis leviſſimo periculum ſubinde mortis imminere probat poſt *Hippocratem Valleriola* l.3. Obſ. Med. 8. & 1 ubi de hujuſmodi caſibus judicium à Magiſtratu rogatus tulit. Sed pili ipſi ſine damno extrahuntur, & integra cutis piloſa, quod Cent. 3. Hiſt. monſtravimus. Periit quidem Samſoni robur, detonſo capillitio, & ſi hirco barbam abraſeris, non fugiet, teſte *Conſtantino Cæſare* l. 15. Geopon. c. 1. de vita verò ſecuri ſunt, niſi alia vis acceſſerit. Poteſt & à compreſſione vel diaphragmatis vel ſtomachi violenta ad menſam, ſuffocatio & mors advocari. *Bellonius* enim Cap. 110. fullonem quoq; novit nomine Petrum, qui unico pugno ſtomacho cujuſdam juvenis violentius impetito, hominem interemit. A prolapſu mucronatæ cartilaginis ſolo gravia ſymptomata ſtomacho, diaphragmati vicinisq; partibus imprimi fatetur *Codronchius* l. de Morb. nov. c. 5. Quid ſi vis major partem ſenſilem urſerit? Moyſen legiferum calce Ægyptium percul ſum interemiſſe ſcribit *Sulpicius Severus* lib. 1. *Hiſt. Sacræ*.

HIST. XXXV.

Signa morborum magicorum.

MOnachus Haffniæ ægris omnibus, quorum ædibus non vocatus, ſe ingeſſit, perſuadere conabatur, ut ſibi divinæ artis gloriam compararet, ex incantamento affectiones eſſe quæ vulgaribus Medicorum remediis curari non poſſent. Ut verbis certo ſigno fidem apud vulgus adſtrueret, ex culcitris lecti quibus incumbebant, pennis anſerinis repletis, apertis & diſciſſis exemit orbiculos ex iisdem pennis eleganter varia ordinataq; ſerie contextos & involutos, quos pro magicis pleno ore venditavit. Cæterum, quanquam mirum videatur ex pennis artificium, tamen etiam in ſanorum lectis invenias. Diutius enim in culcitris plumæ anſerinæ apud pauperculos farctæ, varioq; quotidie in lectorum ſtratione motu agitatæ, implicantur & in globulos cœunt, accedente ex corporum vaporibus humiditate glutinante. Certius alij incantamenti hoc ſignum habent. Corylum recentem in furno ſeu clibano benè expurgato in cineres comburunt, & accuratè deinde combuſtos nitidosq; per cribrum

brum trajiciunt. Inde ægrum de quo ſuſpicio eſt, nocte media ſuper cineres mingere jubent, laſanumq; lotio plenum lento igni imponunt ut vaporum ſpecie exhalet liquor, tumq; ſi morb⁹ eſt magicus, in reſiduo cinere crines inveniri credunt, quos tamen ex reſinoſo ligno eductos ſuſpicarer, ſi fides experimento. Nam ridicula hæc omnia, & in mei excuſationem, illud *Conſtantini Cæſaris* l. 13. Rei Ruſt. c. 5. in re ſimili prætendo: Scripſi hæc, ne quicquam præterire viderer. Nec probo quidem ut fiant talia, ſed potius conſulo omnibus, ne inducant animum alicui horum quæ digna ſunt riſu. Pro vero tamen haud abſimile experimentum acceptat *Jo. Agricola* Tract. 5. Chir. Parv.

HIST. XXXVI.

Cauteria potentialia tutiſſima.

QUæ ex Mercurio ſublimato fiunt Cauteria, valde ſunt periculoſa, & inflammationes partium doloresq; accerſunt, ut non paucis Chirurgis peſſimè ceſſerint, niſi temperata ſint camphora &c. Tutiora alij proponunt, quæ videantur apud *Parentem* noſtrum

noſtrum b. m. de Cauteriis, *Fienum*, *Glandorpium*. Multi ſua ſecreta ſervant, mortaliumq; ſaluti invident. Non ita animatus eſſe debet Medicus, ſed ſine invidia detegat, quæ feliciter hominibus ſucceſſerunt. Chirurgi noſtri inter cauteria tutiſſimum habent cinerem fraxini, quem ita præparatum applicant. Abraſo diligenter externo cortice aſpero, medianus fraxini cortex in fruſtula conciſus exſiccatur & comburitur. Cinis per cribrum transmiſſus lineo globulo detrito includitur, & aquæ calenti tamdiu immergitur, donec totus incaleſcat, tum ſtatim ſignato loco globulus applicatur & emplaſtris tegitur. Operatio ſpacio 4 vel 5 horarum abſolvitur & eſchara poſt totidem dies decidit. Nullus dolor, nulla ſymptomata comitantur. Duo tamen incommoda habet, quod cinis recens ſemper eſſe debeat, deinde quod latius fluendo ſerpat. Inſigni efficacia & commoditate antecellit cauterium ex Aqua forti & Auripigmento, cujus vim cum ſtupore vidi. Succedit calx viva, quando haberi poteſt, ſaponi immixta, & lamina coriacea perforata incluſa. Sicca forma quibus placet, monetam argenteam in aqua forti ſolutam, & in vaſe ſuper ignem evaporante, commodè

modè in uſum trahent. Ex carbonibus culinariis alia cauteria efficiuntur, in quibus tamen doloris metus eſt.

HIST. XXXVII.

Pulſus obſervatio accurata.

SOverus celebris Patavij Mathematicus, pulſus ſui differentiam à prima ætate ad ltimam diligenter obſervavit, ut corporis xinde robur æſtimaret. Unde poſteriobus annis qvum defeciſſe pulſum in nuero rarioresq; fieri micationes animadrteret, ex corporis imbecillitate vitæ fim ſibi brevi imminere divinavit, quod *rolus Avantius* Rhodiginus, incomparais Botanicus, olim mihi narravit.

Non tamen Medicum terrere ſemper et pulſus intermiſſio, ſi ægri vires conıt, nec prava in morbis adſint ſymptoa. Anceps de ſalute nephritici ſoceri ita pridem hæſitabam. Nam ſubinde arpo vigeſimus, aliquando decimus us intermittebat, brevi tamen excretis *lis* & arenulis ſuſpenſum animum duxſolvit. Hinc rectè *Hollerius* de Col. in Schol; vires ex pulſu non eſſe colligen-

gendas in magnis doloribus, quia tum ſolet eſſe admodum parvus.

HIST. XXXVIII.

Tabes à ſpiritu Vini.

CIvis quidam noſter longa aquæ vitæ bibendi conſuetudine eò rem perduxerat, ut per biennium omni ferè cibo potuq; abſtinuerit. Interea nocte dieq; aquam vitæ pitiſſando ſe ſaturavit, niſi coactus interdum magnis conjugis precibus juſculum ſorberet, quod tamen rariſſimè admiſit. Tandem tabe extinctus eſt.

HIST. XXXIX.

Secundarum Extractio.

MAgni mei Amici uxor lectiſſima, annorum 26, ſanguinea & cætera ſana, feliciter 1657. filium primogenitum enititur. Negligentia verò obſtetricis ſecundinæ remanſerunt, quæ religione quadam vel metu indecoro manu deinde extrahere propendente funiculo, intermiſit, ſed variis propinatis expellentibus, repetitisq; balneis

neis puerperam enervavit. Tertio die amici mariti precibus adductus, juſſi aliam obſtetricem noſtram Catharinam, conſentientibus D. Simone Paulli, & D. Paulo *Moth*, collegis meis honorandis, ſecundinas manu extrahere retentas, quod incerti ſcirem eſſe eventus, naturæ id committere, & jam à retentis vaporibus febris immineret. Illa leniter inclinato puerperæ corpore facillime ſine ullo doloris ſenſu manu eduxit ſecundas integras, quæ tanto promptius trahentis arbitrium ductumq; ſequebantur, quod liberæ in utero eſſent, osq; uteri adhuc hiſceret. Nullus exinde labor, nulla puerperæ moleſtia excitata, ſed quæ febris antea fuerat accenſa, perſeverabat, non ſine graſſantis malignitatis ſuſpicione, fruſtraq; exhibitis cordialibus & aliis, quæ ex uſu præſenti eſſe judicavimus, optima fœmina magno egregij mariti mœrore, die ſeptimo è vivis exceſſit. Dubitatum fuit à nonnullis, an ſatis tutò ſecundæ retentæ manu obſtetricis noſtro conſilio ſint extractæ, an verò prudenti⁹ naturæ negotium id fuiſſet committendum. Ut omnium ſcrupulo & dubitationibus ſatisfacerem, ſtudiosius hoc argumentum perſeqvutus ſum & publicæ ventilationi propoſui in Academia

mia. Non ingratum fore judicavi, ſi repetito prælo antea ſcripta & ventilata hic exhibeantur.

I.

SEcundarum nomine complectimur Placentam uterinam, membranas fœtum involventes, & vaſa umbilicalia. Græcis χόριον vel χώριον, quanquam & tunicam ſolam nonnunquam denotet, *Galeno* in Defin. Med. fœtus eſt χώρημα, *Suidæ* τὸ κάλυμμα. Alibi variata nomenclatura ὕστερα Græcis, quæ ἀπό τῶν ὑστερῶν accuratè diſtinguit *Galenus* com. l. 5. Aph. 49. δευτέριον *Paulo Æginetæ* l. 6. c. 75. Malè interpretes Locos exponunt, qui propriè uterum ſignant, ubi naſcendi initium conſiſtit, quod ex *Plinio* l. 11 c. 37. *Columell.* l. 6. c. 27. & *Celſo* monet *Fuchſius* com. 5. Aph. 35. Quibus addendus *Scribonius* comp. 156. *Varro* l. 4. de L. L. *Cato* R. R. c. 157. Uſitatius Latinis ſecundæ vel ſecundinæ, quod ſecundum fœtui ſint receptaculum, vel quod poſt fœtus initia generentur, vel deniq; quod ſecundo quaſi partu poſt fœtum excludantur, nam è veſtigio editum infantem ſequi debent, ſi facilis ſit naturaliſq; partus.

2. Si

2. Si enim cum placenta priore loco exiret umbilicus, non utiq; per ipſum ad puellum permearet alimentum, cum ex eo propendeat, autore *Hippocrate* l. 1. de Morb. Mul. Tranſigat bonus ille ſenex cum junioribus, quibus abſurdus videtur. Divortij occaſionem ipſe dedit l. de Nat. Pueri & l. de Carnibus, quod os embryonis in participationem admiſerit. Audaciores inde alii, in varias iverunt ſententias. *Arantius* arterias negat jungi uterinis. *Harvejus* De Anim. Gen. Exerc. 69. venarum quoq; commercium excludit, ſed per arteriolas mucaginem albam advenire, quas vaſorum lacteorum fines eſſe non dubitat *A. Deuſinius* de Gen. Fœt. §. 33, etiam ex noſtris obſervationibus. Prorſus inutilem vaſorum umbilicalium operam damnat *Courveus* ingeniosſus de Nut. Fœt. quod ſangvinem à fœtu tantum referant pro colliquamenti ... ione & refrigerio, placenta verò ſuccum ... um ab utero defluentem percolet, qui chorion & amnion in uſum embryonis ... ſudat. De his alii diſpiciant, nos non curamus.

Sæpe evenit, ut in utero remaneant ... ndæ, anxiasq; puerperas reddant, cu... affectionis variæ ſunt cauſæ. Nonnun-

E quam

quam incuria obſtetricis negliguntur; dumq; ea aliis rebus circa infantem diutius juſto intenta eſt, ſæpe vulvæ os comprimitur: Subinde uteri cotyledonibus arctius connaſcuntur: Aliquando liberæ ſunt, ſed vel pilæ inſtar in angulo uteri deliteſcunt, vel tumidas exſiccatasve vias inveniunt & æſtu aridas: Non raro puerperarũ defatigatæ vires in excutiendis ſecundis deficiunt: Sæpe ruptus umbilici funis præter ſpem recedit, ſecumq; connatam molem ad interiora abducit, ut manus medicæ eo duce deſtituantur, quam ſolam cauſam annotat *Hippocrates* l. 1. de Morb. Mul. unde vel umbilicus à fœtu non reſcindendus, quod alienis magis quam noſtris moribus eſt receptum, infans enim negligitur, ſangvisq; liberè in illius detrimentum per vaſa umbilicalia egreditur, præſertim ubi ſequaces non ſunt ſecundæ, quanquam huic moræ remedium indicaverit *Hippocrates* l. De ſuperfœt. ſuppoſita lana & utriculis aqua plenis; vel reſectus umbilicus femori puerperæ alligatur, ſi manibus adſtantium non ſatis fidimus, & obſtetrix ſit impedita, alias enim monente *Jo. Heurnio* comm. 5. Aph. 49, obſtetrix nunquam digitum ab interno ore uteri amoveat; vel deniq; ſi umbilicus re-

ſectus

ſectus ſatis ſit robuſtus, appenſis ponderibus retinetur, ex conſilio *Hippocratis*, ſeu appendicibus ex ſtanno vel plumbo, quemadmodum explicat *Hollerius* comm. in Aph. 4. Non video quomodo ſecundæ retineantur, quia pecus generatum eſt in matrice, quod appellatur frater Lombardorum apud *Gordonium* part. 7. de Paſſ. Mul. c. 17. Molæ enim ſecundis carent, proximeq; more ſecundarum utero cohærent. Et obſervavit *Hildanus* Cent. 2. Obſ. 52. in Iſabella Mace poſt partum puellæ ſecundinam mox ejectam, quanquam mola reſtiterit, aliquot exinde diebus manu extracta. In abortu ſimilia nos in *Hiſtoriis* annotavimus. Excuſari poteſt *Gordonius*, ſi proximè orificio uteri cohæreat pecus, moleq; a egreſſum ſecundis invideat. Sed cur ꞇtum non impedit?

Quocunq; modo ſubſiſtant, periculo ud carent. Naturæ moleſtæ ſunt, quando tu excidente ab officio deſtinato ceſſ. Facilè lubrica concreti ſangvinis ſa putreſcit, & mille affert puerperis inmoda. Oraculum eſt *Hippocratis* l. 1. Morb. Mul. ſi ſecundæ ſtatim à partu diſceſſerint, imi ventris dolores in lainanitate ſuboriri, & rigores ac febres.

Apertius mox loquitur: Si mulieri fœtus involucrum intus remanſerit, niſi uteri amplo ore fuerint, parcior quam conveniat purgatio prodit, venter durus & magnus evadit, frigus detinet, & febris acuta, dolor totum corpus præcipuè ventri partem umbilico inferiorem occupat, pondusq; in uteris ac tormina non aliter qvam fœtu exiſtente ſentiuntur. *Jaſonis à Pratis* l. de Par. & Part. c. 5. eſt ſententia: certam mortem adducere, ſi à nixu confeſtim elapſa non ſit ſecundina, qvum epiſtomia occludat, quibus ſangvinis fluvius ex parituræ laboribus proceloſi excurrere debet. *Joh. Marchandetus*, in Edit. hiſt. mem. *Jo. Heurnius, Rod. à Fonſeca.* comm. in Aph. aliiq; prædixerunt ex ſola retentione ſecundinæ febrem ardentem & continuam, ſpaſmum, & ſyncopen, aliaq; graviſſima ſymptomata, tandemq; ſubitariam mortem ſequi. Elatis enim in cor, cerebrum, pulmones vaporibus putreſcentibus, non mirum dolores capitis, deliria, vigilias, convulſiones, & aſthmata &c. excitari, quæ plenis buccis enarrant Autores noſtri, & quotidiè ante oculos obverſantur. Frequentiſſima eſt Hyſterica paſſio, in qua ſæpe moriuntur, teſte *Scip. Mercurio* l. 2. de Obſt. c. 30. Præceptum

ceptum eſt *Hildani* in Epiſt. ad Crocquerium: Extracto fœtu, ſecundinam nullo modo eſſe negligendam: Illa enim niſi protinus poſt fœtum extrahatur, de puerpera actum eſſe, quod ſingulari exemplo illuſtrat in Epiſt. ad Doringium. Si utero adhæreat, majus imminet periculum, & immaturo partu ſi relinquatur, quod fatale fuit puerperæ apud *Platerum* l. 1. Obſervat.

6. Igitur ſi ſalus puerperarum, ſi propria exiſtimatio nobis cordi eſt & curæ, quam citiſſimè huic malo occurrendum, tollendumq; è corpore, quod illi noxium eſt. Nocet mora, ſecumq; pœnitentiam ducit ſeu obſtetricis negligentia, ſeu Medici præſentis damnoſa dubitatio. Tria remediorum genera occurrunt, quibus reſiduæ ſecundæ excutiuntur. Vel enim medicamentis tam internis, quam externis pelluntur, vel manu extrahuntur, vel Naturæ beneficio ſeu integræ ſeu putridæ excernuntur.

7. De Cauſarum amotione parum laboramus, quæ omnibus in confeſſo. Si enim uteri oſculum nimis ſit adſtrictum, certum eſt omni conatu tentandam eſſe ampliationem, medicamentis laxantibus, emollientibus, quibus ſæpiſſimè loci dehiſcunt, ut de

Digitized by Google

ſpeculo uterino nihil dicam, quo remedio extremo vi clauſum uteri oſtium reſeratur. Si verò inflammatæ ſint partes tumidæq; à puerperij laboribus, commodis remediis temperandus æſtus, tumorq; comprimatur. Si vires puerperæ ſint imbecilliores, nemo tam eſt ignarus, quin refocillandas eſſe & ſciat & jubeat. Si deniq; arctius ſecundæ utero connatæ ſint, cum ipſo morbo cauſa tollitur. De quo accuratiori cura videamus.

8. Internis utimur externisq; ad pellendas ſecundas. Interna vel occulta proprietate, vel manifeſta ratione naturam ad expellendum ſollicitant roborantq;. Dictamnus familiam ducit, Borax, Myrrha. Seqvuntur longo medentium uſu approbata, Leucoium, agnus caſtus, fœnum græcum, Crocus, Cinamomum, pulegium, artemiſia, Caſtoreum, teſticuli equini, Succinum & alia quæ paſſim legantur ex *Hippocrate* l. 1. de Morb. Mul. *Galeno* l. 7. Med. Facult. *Aetio* tetr. 1. ſ. 1. & ſ. 2. c. 177. tetr. 4. ſ. 4. c. 24. *Oribaſio* l. 2. de Virt. ſimpl. *Actuario* l. 5. Meth. Med. c. 6. *Myrepſo* ſect. 1. de Antid. c. 26. & ſect. 38. c. 109. *Dioſcoride* l. 3. c. 138. & alibi. *Fr. de Pedemontio* De ægrit. Matr. ſum. 4. c. 18. *Bonaciolo* de form. fœt. c. 8.

Ron-

Rondeletio Meth. cur. Morb. c. 65. *Paſchalio* l. 1. Meth. cur. c. 59. H. *Augenio* l. 7. Epiſt. 8. *Foreſto* l. 28. obſ. 80. Jo. *Heurnio* in Aph. *Lælio à Fonte* Cons. 118. *Gabelchovero* Cent. 3. Cur. 68. *Mercurio* l. 2. de Obſt. c. 30. *Rod. à Caſtro* l. 4. M. Mul. c. 7. *Sennerto* l. 4. Prax. *Joële* l. 8. Prax. ſ. 4. c. 3. *Tulpio* l. 4. Obſ. c. 41, *Thonero* l. 3. Obſ. 2. *Lotichio* l. 5. Obſ. c. 1. Obſ. 20, ut alios taceam numero plures.

9. Inter externa primas defert *Hippocrates* ſternutatoriis lib. 2. Epid. ſect. 5. *ſecundarum purgatio ſi quid ſuperſit, ad nares apponere ut ſternutet, & apprehendere nares & os ſternutantis.* Repetit eadem 5. Aph. 49. cauſamq; reddit *Galenus* Comm. 5. Aph. 35. quod vehementiore quaſſu & jactatione partim naturam excitent, partim quæ corporis partibus tenaciter impacta ſunt, excutiant. Nempe commoto cerebro, ſimul concutiuntur omnia viſcera, arctanturq; abdominis muſculi, qui operam inſignem conferunt tum pellendo fætui, tum ſecundis exturbandis. Cur nares & os apprehendi debeant, explicat *Philotheus* in Aph. ut ſpiritus ad inferiora deſcendens ſternutamenti violentia & concuſſione ſecundam deorſum ferri faciat. Preſſius

feriores partes obvolvendæ. Peſſi quoq; conficiantur, & uterini clyſteres.

12. De balneo & inſeſſu dubitatur. Suadet *Aëtius* l. d. *Gordonius* l. d. *Aquapendens* in Oper. Chir. Difficultatem tamen video. Facilè enim vires dejiciunt, & calore ſuo vaſa dilatant, augentq; fluxum ſangvinis, præſertim in plethoricis. Si tamen ob ſiccitatem os uteri clauſum ſit, diligenterq; puerpera cuſtodiatur, damnari prorſus non poſſunt. Alioquin præferendi ſacculi abdomini impoſiti, inunctiones, cataplaſmata, & emplaſtra, quorum formulæ paſſim apud Medicorum filios proſtant.

13. Magnam famam habent Ætites, ſeu lapides Aquilinares, noſtrarum quoq; feminarum felici experientia noti. Adalligatos gravidis mulieribus retinere partus *Plinius* tradit l. 35. c. 21. qvod eleganter *Solinus* Polyhiſtor. c. 37 ſpem uteri defendere dixit. Quid fluxus abortivi ſint, docet alter Polyhiſtor *Salmaſius.* Uterq; verò, *Plinius* & *Solinus* addere debuiſſet, cui corporis parti ætites ſit applicandus. Diſertius id ſignant *Aëtius* tetr. 1. ſerm. 2. c. 32. *Dioſcorides* l. 5. c. 161. *Camillus Leonardus* l. 2. de Lapid. *G. Agricola* l. 5. Foſſil. c. 17. *Aldrovandus* l. 4. Muſ. Metall. c. 4. *Anſ. Boot.* l. 2. de gem. & Lap.

Lap. c. 198 appenſum nempe lapidem ſiniſtro brachio prohibere abortum, & femori ſiniſtro alligatum partum accelerare, ut ſine doloribus pariat puerpera. Subinde tam potenter femori appenſus trahit, ut niſi fœtu ſecundiſq; eductis removeatur, uterum ipſum prorſus extra locum ſuum dimoveat. *Valleriola* l. 1. Obſ. 10. exemplum vidit in conjuge Urbani Prætoris Valentiæ, quæ neglecto poſt puerperium in femore ætite, elapſa matrice, fuit extincta. Gravidæ ſignaturam gerunt ætites, moreq; prægnantis alium lapidem vel arenulas continent, ut notat *Barth. Anglicus* l. 16 de Propr. Rer. c. 39. Nec ſine his pariunt aquilæ, autore *Plinio* l. 36. c. 21.

14. Cingulum corij humani in precio eſſe cæpit, neſcio quo ſuo merito. Vel enim alia ligamenta idem efficiunt, vel certe inutilis eſt ejuſmodi ligatura, in hyſterico affectu quidem laudanda, hic vero oppido importuna. Conſtringuntur enim muſculi abdominis, ut in expellendo ſegniores evadant. Forſan hoc fine ætites in pelliculis ſacrificatorum animalium incluſit *Plinius* l. d. Nec minus peccant, qui frictionibus manu rudi validis ſecundas conantur deducere. Tantum proficiunt, ut excoriata cute

dolo-

quam incuria obſtetricis negliguntur; dumq; ea aliis rebus circa infantem diutius juſto intenta eſt, ſæpe vulvæ os comprimitur: Subinde uteri cotyledonibus arctius connaſcuntur: Aliquando liberæ ſunt, ſed vel pilæ inſtar in angulo uteri deliteſcunt, vel tumidas exſiccatasve vias inveniunt & æſtu aridas: Non rarò puerperarũ defatigatæ vires in excutiendis ſecundis deficiunt: Sæpe ruptus umbilici funis præter ſpem recedit, ſecumq; connatam molem ad interiora abducit, ut manus medicæ eo duce deſtituantur, quam ſolam cauſam annotat *Hippocrates* l. 1. de Morb. Mul. unde vel umbilicus à fœtu non reſcindendus, quod alienis magis quam noſtris moribus eſt receptum, infans enim negligitur, ſangvisq; liberè in illius detrimentum per vaſa umbilicalia egreditur, præſertim ubi ſequaces non ſunt ſecundæ, quanquam huic moræ remedium indicaverit *Hippocrates* l. De ſuperfœt. ſuppoſita lana & utriculis aqua plenis; vel reſectus umbilicus femori puerperæ alligatur, ſi manibus adſtantium non ſatis fidimus, & obſtetrix ſit impedita, alias enim monente *Jo. Heurnio* comm. 5. Aph. 49, obſtetrix nunquam digitum ab interno ore uteri amoveat; vel deniq; ſi umbilicus re-

ſectus ſatis ſit robuſtus, appenſis ponderibus retinetur, ex conſilio *Hippocratis*, ſeu appendicibus ex ſtanno vel plumbo, quemadmodum explicat *Hollerius* comm. in Aph.

4\. Non video quomodo ſecundæ retineantur, quia pecus generatum eſt in matrice, quod appellatur frater Lombardorum apud *Gordonium* part. 7. de Paſſ. Mul. c. 17. Molæ enim ſecundis carent, proximeq; more ſecundarum utero cohærent. Et obſervavit *Hildanus* Cent. 2. Obſ. 52. in Iſabella Mace poſt partum puellæ ſecundinam mox ejectam, quanquam mola reſtiterit, aliquot exinde diebus manu extracta. In abortu ſimilia nos in *Hiſtoriis* annotavimus. Excuſari poteſt *Gordonius*, ſi proximè orificio uteri cohæreat pecus, moleq; ſua egreſſum ſecundis invideat. Sed cur fœtum non impedit?

5\. Quocunq; modo ſubſiſtant, periculo haud carent. Naturæ moleſtæ ſunt, quando fœtu excidente ab officio deſtinato ceſſant. Facilè lubrica concreti ſangvinis maſſa putreſcit, & mille affert puerperis incommoda. Oraculum eſt *Hippocratis* l. 1. de Morb. Mul. ſi ſecundæ ſtatim à partu non diſceſſerint, imi ventris dolores in lateris inanitate ſuboriri, & rigores ac febres.

 Aper-

Apertius mox loquitur: Si mulieri fœtus involucrum intus remanſerit, niſi uteri amplo ore fuerint, parcior quam conveniat purgatio prodit, venter durus & magnus evadit, frigus detinet, & febris acuta, dolor totum corpus præcipuè ventri partem umbilico inferiorem occupat, pondusq; in uteris ac tormina non aliter qvam fœtu exiſtente ſentiuntur. *Jaſonis à Pratis* l. de Par.& Part. c. 5. eſt ſententia; certam mortem adducere, ſi à nixu confeſtim elapſa non ſit ſecundina, qvum epiſtomia occludat, quibus ſangvinis fluvius ex pariturae laboribus procelloſi excurrere debet. *Joh. Marchandetus*, in Edit. hiſt. mem. *Jo. Heurnius*, *Rod. à Fonſeca.* comm. in Aph. aliiq; prædixerunt ex ſola retentione ſecundinæ febrem ardentem & continuam, ſpaſmum, & ſyncopen, aliaq; graviſſima ſymptomata, tandemq; ſubitariam mortem ſequi. Elatis enim in cor, cerebrum, pulmones vaporibus putreſcentibus, non mirum dolores capitis, deliria, vigilias, convulſiones, & aſthmata &c. excitari, quæ plenis buccis enarrant Autores noſtri, & quotidiè ante oculos obverſantur. Frequentiſſima eſt Hyſterica paſſio, in qua ſæpe moriuntur, teſte *Scip. Mercurio* l. 2. de Obſt. c. 30. Præ-

ceptum

ceptum eſt *Hildani* in Epiſt. ad Crocquerium: Extracto fœtu, ſecundinam nullo modo eſſe negligendam: Illa enim niſi protinus poſt fœtum extrahatur, de puerpera actum eſſe, quod ſingulari exemplo illuſtrat in Epiſt. ad Doringium. Si utero adhæreat, majus imminet periculum, & immaturo partu ſi relinquatur, quod fatale fuit puerperæ apud *Platerum* l. 1. Obſervat.

6. Igitur ſi ſalus puerperarum, ſi propria exiſtimatio nobis cordi eſt & curæ, quam citiſſimè huic malo occurrendum, tollendumq; è corpore, quod illi noxium eſt. Nocet mora, ſecumq; pœnitentiam ducit ſeu obſtetricis negligentia, ſeu Medici præſentis damnoſa dubitatio. Tria remediorum genera occurrunt, quibus reſiduæ ſecundæ excutiuntur. Vel enim medicamentis tam internis, quam externis pelluntur, vel manu extrahuntur, vel Naturæ beneficio ſeu integræ ſeu putridæ excernuntur.

7. De Cauſarum amotione parum laboramus, quæ omnibus in confeſſo. Si enim uteri oſculum nimis ſit adſtrictum, certum eſt omni conatu tentandam eſſe ampliationem, medicamentis laxantibus, emollientibus, quibus ſæpiſſimè loci dehiſcunt, ut de

ſpeculo uterino nihil dicam, quo remedio extremo vi clauſum uteri oſtium reſeratur. Si verò inflammatæ ſint partes tumidæq; à puerperij laboribus, commodis remediis temperandus æſtus, tumorq; comprimatur. Si vires puerperæ ſint imbecilliores, nemo tam eſt ignarus, quin refocillandas eſſe & ſciat & jubeat. Si deniq; arctius ſecundæ utero connatæ ſint, cum ipſo morbo cauſa tollitur. De quo accuratiori cura videamus.

8. Internis utimur externisq; ad pellendas ſecundas. Interna vel occulta proprietate; vel manifeſta ratione naturam ad expellendum ſollicitant roborantq;. Dictamnus familiam ducit, Borax, Myrrha. Seqvuntur longo medentium uſu approbata, Leucoium, agnus caſtus, fœnum græcum, Crocus, Cinamomum, pulegium, artemiſia, Caſtoreum, teſticuli equini, Succinum & alia quæ paſſim legantur ex *Hippocrate* l. 1. de Morb. Mul. *Galeno* l. 7. Med. Facult. *Aetio* tetr. 1. ſ. 1. & ſ. 2. c. 177. tetr. 4, ſ. 4. c. 24. *Oribaſio* l. 2. de Virt. ſimpl. *Actuario* l. 5. Meth. Med. c. 6. *Myrepſo* ſect. 1. de Antid. c. 26. & ſect. 38. c. 109. *Dioſcoride* l. 3. c. 138. & alibi. *Fr. de Pedemontio* De ægrit. Matr. ſum. 4, c. 18. *Bonaciolo* de form. fœt. c. 8.

Ron-

Rondeletio Meth. cur. Morb. c. 65. *Paſchalio* l. 1. Meth. cur. c. 59. H. *Augenio* l. 7. Epiſt. 8. *Foreſto* l. 28. obſ. 80. Jo. *Heurnio* in Aph. *Lælio à Fonte* Cons. 118. *Gabelchovero* Cent. 3. Cur. 68. *Mercurio* l. 2. de Obſt. c. 30. *Rod. à Caſtro* l. 4. M. Mul. c. 7. *Sennerto* l. 4. Prax. *Joële* l. 8. Prax. ſ. 4. c. 3. *Tulpio* l. 4. Obſ. c. 41, *Thonero* l. 3. Obſ. 2. *Lotichio* l. 5. Obſ. c. 1. Obſ. 20, ut alios taceam numero plures.

9. Inter externa primas defert *Hippocrates* ſternutatoriis lib. 2. Epid. ſect. 5. *ſecundarum purgatio ſi quid ſuperſit, ad nares apponere ut ſternutet, & apprehendere nares & os ſternutantis.* Repetit eadem 5. Aph 49. cauſamq; reddit *Galenus* Comm. 5. Aph. 35. quod vehementiore quaſſu & jactatione partim naturam excitent, partim quæ corporis partibus tenaciter impacta ſunt, excutiant. Nempe commoto cerebro, ſimul concutiuntur omnia viſcera, arctanturq; abdominis muſculi, qui operam inſignem conferunt tum pellendo fætui, tum ſecundis exturbandis. Cur nares & os apprehendi debeant, explicat *Philotheus* in Aph. ut ſpiritus ad inferiora deſcendens ſternutamenti violentia & concuſſione ſecundam deorſum ferri faciat. Preſſius

 ad

ad rem *Cardanus* & *Rod.* à *Fonſeca* Comm. in Aph. quia aër pellitur ad pulmones, hinc ad diaphragma, quo preſſo premuntur inteſtina & uterus. In ſternutatione totum corpus parturientis commoveri & agitari probat *Harvejus* l. de Partu, exemplo juvenculæ, quæ licet ſtupida & comatoſa, adeò tamen penna ſternutatorio fortiori illita commota fuit, ut convulſione totius corporis tentaretur, quæ ab humeris exorta paulatim per univerſum corpus ad inferiora pertingebat, inſciaq; Matre naſceretur ſanus infans. Pro ſternutatorio Caſtoreum & piper laudat *Aetius* tetr. 4. ſ. 4. c. 24. In officinis proſtant uſitati pulveres ex floribus lil. convallium, betonica, Majorana, tabaco, ex quibus tamen ambra & Moſchus eliminanda. Nicotianæ pulveri, ſi minus efficax ſit, helleborus ſubſtituendus. Nonnunquam evulſi narium vibriſſi ſufficiunt. Cautione tamen hic opus. Præcedant medicamenta per os ſumenda, ſuaſu *Heurnij* l. 1. Meth. ad Praxin. Præterea abſtinendum ab illis, monente *Aetio* l. d. ſi vires debiles fuerint.

10. Vomitum procurat *Nic. Myrepſus* ſect. 38. de Propom. c. 109. & ſapa ovo crudo & aqua calida. Eundem pro exitu ſecun-

ſecundinæ commendat *Iſaac* l. 6. Viat. c. 17. (quod *Conſtantinus* Aphricanus ſuo nomine divulgavit,) cineremq; aqua infuſum & colatum cum ſem. malvæ in aqua calida, & crocum propinat. *Guinterius Andernacus* de Puerpera, qui ex Bibliotheca Schenckiana prodiit, ſuccum Borraginis laudat. Inſerto digito vomitum ciet *Bourgeſia* Obſ. Obſtetr. c. 14. Mihi vomitus ſuſpectus videtur quia nixum puerperæ impedit, uterumq; cum ventriculo ſurſum revellit, niſi cum *Gordonio* p. 7. c. 17. exiſtimemus, ſuſcitari virtutem expulſivam partium inferiorum, quæ ſuſcitata expellat nociva. Addo commoveri ſecundas, & facilius deinde utero excuti.

11. Naribus admovenda gravi odore fœtentia, quæ uterum & in illo contenta fœtore ſuo à ſe propellant, ut aſa fœtida, Caſtoreum, ſuffitus ex ſtercore bovino, canino, columbino, plumis perdicis, ungulis animalium, inprimis capræ, equi &c. Partibus verò profundius à Natura occultatis benè olentia apponenda, moſchus, ambra, ſuffitus ex caſſia, nardo, ſabina &c. Quibus & os uteri laxatur, & aſtu quodam grato ſecundæ eliciuntur. Ne ad nares gratus odor tranſmeet, ſtragulis diligenter in-

feriores partes obvolvendæ. Peſſi quoq; conficiantur,& uterini clyſteres.

12. De balneo & inſeſſu dubitatur. Suadet *Aëtius* l. d. *Gordonius* l. d. *Aquapendens* in Oper. Chir. Difficultatem tamen video. Facilè enim vires dejiciunt, & calore ſuo vaſa dilatant, augentq; fluxum ſangvinis, præſertim in plethoricis. Si tamen ob ſiccitatem os uteri clauſum ſit, diligenterq; puerpera cuſtodiatur, damnari prorſus non poſſunt. Alioquin præferendi ſacculi abdomini impoſiti, inunctiones, cataplaſmata, & emplaſtra, quorum formulæ paſſim apud Medicorum filios proſtant.

13. Magnam famam habent Ætites, ſeu lapides Aquilinares, noſtrarum quoq; feminarum felici experientia noti. Adalligatos gravidis mulieribus retinere partus *Plinius* tradit l. 35. c. 21. qvod eleganter
Polyhiſtor. c. 37 ſpem uteri def
xit. Quid fluxus abortivi ſint
Polyhiſtor *Salmaſius*. Uterq
Solinus addere debuiſſet,
ætites ſit applicandus
Aëtius tetr. 1. ſer
c. 161. *Camil*
Agricola l.
Muſ. M

Lap. c. 198 appenſum nempe lapidem ſiniſtro brachio prohibere abortum, & femori ſiniſtro alligatum partum accelerare, ut ſine doloribus pariat puerpera. Subinde tam potenter femori appenſus trahit, ut niſi fœtu ſecundiſq; eductis removeatur, uterum ipſum prorſus extra locum ſuum dimoveat. *Valleriola* l. 1. Obſ. 10. exemplum vidit in conjuge Urbani Prætoris Valentiæ, quæ neglecto poſt puerperium in femore ætite, elapſa matrice, fuit extincta. Gravidæ ſignaturam gerunt ætites, moreq; prægnantis alium lapidem vel arenulas continent, ut notat *Barth. Anglicus* l. 16 de Propr. Rer. c. 39. Nec ſine his pariunt aquilæ, autore *Plinio* l. 36. c. 21.

14. Cingulum corij humani in precio eſſe cæpit, neſcio quo ſuo merito. Vel enim al[illegible] [illegible]enta idem efficiunt, vel certe inu-
[illegible] ſm[illegible] [illegible]ura, in hyſterico affe-
[illegible] n[illegible] hic vero oppido im-
[illegible] [illegible]untur enim muſculi
[illegible] [illegible]lend[illegible] ſegniores eva-
[illegible] [illegible]e [illegible] [illegible]n pelliculis
[illegible] [illegible]al[illegible] [illegible]ſit *Plinius*
[illegible] [illegible]c[illegible] [illegible]ictionibus
[illegible] [illegible]c[illegible] [illegible]ntur dedu-
[illegible] [illegible] coriata cute
dolo-

dolores augeant & tormenta, unde poſtea vigiliæ, febres aliaq; mala ſubſeqvuntur. Manus ſola ſuper ventrem validè appoſita ſufficiat, præſertim cum circa pectinem dolores ſenſerit fœmina, conſilio *Rod. à Caſtro* l. 4. de Morb. Mul. c. 7. & lenta manu à lateribus ad ventrem reducendæ, monente *Bourgeſia* c. 14. Obſ. Obſt. quaſi tremula frictione.

15. Manus opera ſæpiſſimè neceſſaria ad educendas ſecundas. Faciſlima ea eſt, ſi os vulvæ apertum, & ſecunda ſejuncta reperitur, non connata, circa aliquam uteri partem inſtar pilæ convoluta: Siniſtra enim manus calida (alii dextram amant) & pingvedine inuncta ſeu oleo cheirino, vel amygdalarum dulcium, vel liliorum alborum, vel mucagine altheæ, in profundum immittenda, arreptaq; ſecunda leniter extrahenda, ut docent *Aëtius* tetr. 4 ſ. 4. c. 24. ex Philumeno, *Paulus Ægineta* l. 6. c. 75. *Albucaſis* de Aff. Mul. c. 78. *Donatus ab Altomari* de med. hum. corp. mal. c. 115. *Fr. Pedemontius* c. 18. ſum. 4. *Balduin. Ronſſeus* de hum. vit. Primord. c. 22. *Jo Marinellus* l. 3. de Med. mulier. c. 13. *Campanella* l. 6. Medicinal. c. 21. Artic. 13. *Henr. Petræus* Ench. Chir. l. 10. c. 15.

16. Ope-

16. Operatio facilior ſuccedet, ſi umbilicus vel non reſciſus ſit à fœtu, vel reſciſus adhuc promineat, ita enim hujus ductum facilè manus obſtetricis vel Chirurgi ſequetur, & fœtus ſi adhæreat, pondere ſuo deorſum promovebit ſecundam ex *Hippocrate* l. de ſuperfœt. Antiquatus verò noſtris obſtetricibus iſte mos, quæ edito infante ſtatim umbilicum decurtant. Pro antiquo pugnat *Rod. à Caſtro* l. 4. c. 7. ſed ultra ſex horas non differt. Nos huc nulla compellit neceſſitas, quia manus obſtetricis trahentis id pondus ſpondet quod adhærens fœtus, qui ſine ratione trahit. Reſecto umbilico & commodius obſtetrix venatur ſecundas, & tutius ipſe fœtus procuratur, & ab externis injuriis defenditur. Quod ſi utero cohæreat, ruptuſq; ſit umbilicus, & intro receſſerit, quanquam majori conſtet labore, neutiquam incerta ſpe relinquenda ſecunda, ſed leniter quærenda, & dextrè extrahenda.

17. Ne verbis meis credatur & experientiæ, quanquam & pro me anni intercedant, advocabo præter nuper laudatos, alios artis noſtræ peritos. Audiamus *Moſchionem* de Mul. Affect. c. 53. & ex eo *Geſnerum* Harm. Gynæc. p. 1. c. 14. Cum infans in manus obſte-

obſtetricis ceciderit,ſi ad umbilicum adhuc cohæret, obſtetrix debebit etiam attentare leviter hac & illac adducens, an per ipſum umbilicum infantis poſſit foras adduci, adjuvante conatibus ſuis & ipſa parturiente, idq; fiat quando fundo non adhærent & orificium patet. Sed ſi ruptus vel præciſus umbilicus ſtatim ſe intus abſconderit, orificio Matricis patente, perunctam manum ſtatim obſtetrix immittere debebit, & ſi jam ad fundum matricis receſſerint, & obvolutæ ſint & natent, quacunq; parte apprehenſis tolli debent. Eadem eſt ſententia *Martini Akakiæ* l. 2. de Morb. M. c. 8. *Nic.Rochei* de cur. M. M c.30. *Jac. Rueff.* l. 3. de Muliebr. c. 4. *Mercati* l. 4. de puerp. affect. c. 4. *Rondeletij* Meth. cur. c. 65. *Ranchini* de Morb. in part.

18. Modum clarioribus verbis exponens *Aquapendens* in Operat. Chir. dextra manu inuncta, intus in uterum immiſſa, ſecundas ſe extraxiſſe teſtatur: Etenim ubi manu ad uteri fundum pervenit, ſtatim digitis inter placentam & uteri tunicam interpoſitis, ſic eam ungvibus parumper circumciſis & retuſis, & ſummis digitis ab utero totam ſeparavit & felici ſucceſſu extraxit. Lucem feneraturus *Scipio Mercurius* l. 2, de Obſtetr.

c. 30.

c. 30. jubet Obſtetricem funem cum ſecundis inventum ſiniſtra manu apprehendere, & dextram inter uterum & ſecundas ingerere, digitoq; ſeparare adhærentes ſecundas, ſicut lanij peliem animalibꝰ detrahunt. *Galenus* κατὰ δάρσιν vocat, freqvensq; eſt Anatomicis membranas levi digitorum inſertione diviſuris.

19. Si os clauſum, non ſtatim deſiſtendum ab opere, ſed præeunte *Aëtio* l. d. reliquiſq; ſupra laudatis, perfuſionibus pingvibus utemur, & per manus digitos leniter aperire ac dilatare conabimur, cataplaſmatis, ſternutatoriis, potionibus, ſuffitibus tentabimus, tumq; ſi aperiatur os, manꝰ altera immittenda. De ſpeculo uterino ne verbum addo.

20. In omni verò extractione, ne error committatur, votoq; excidamus, neceſſariæ Cautiones notandæ. Inprimis cavendum, ne in directum trahatur, ne uterus ſimul educatur, ſed obliquè hac illac vertenda ſecunda, ſenſimq; validius attrahenda, monentibus *Aëtio* l. d. *Moſchione* l. d. *Hildano* Epiſt. ad Doring. *Foreſto* l. 28. Obſ. 79. *Læl. à Fonte* Conſ. 118 Blanda quoq; manu non vi aut ſubitò agendum, ob metum inflammationis *Hipp.* l. de ſuper fœt. *Trincavell.* l. 6. c. 28. ne ſimul anima & ſecunda edu-

Digitized by Google

educantur, *Mich. Joh. Paſchalius* l. 1. Meth. cur. c. 59. Terreat nos puerpera Schiedamenſis apud *Foreſtum* l. 28 Obſ. 80. in Scholiis, quæ cum obſtetrix quædam nimis audax ſubitò ad ſe ſecundinam retentam attraheret, illico in deliquium animi cadens ſtatim exſpiravit.

21. Caveantur veſicæ orificium, uteriq; membranæ, ne ungvibus lædantur, quod prudentem obſtetricem monere opus non eſt. Imperita eſt de umbilico puerperæ dubitatio, qui rumpi creditur, ſubitamq; mortem afferre. Si enim in partu vero ruptus non fuit tenſo abdomine, vanus hic erit metus, nec à manu obſtetricis periculum, quia extra uteri regionem ſub peritonæo ad hepar progreditur. Taceo falſum eſſe, rupto umbilico mortem repentinam inſtare, quod Proſectorum obſervationes refellunt. Obſtetrices probatæ & artis & fidei commendat *Ulpianus* 25. D. tit. 4. de Ventr. inſpic. Inprimis in obſtetrice requirimus rerum Anatomicarum peritiam, quod in Chirurgo quoq; deſiderat *Aquapendens*, ut ſciat ſitum, figuram & magnitudinem placentæ, & uteri, partiumq; genitalium conſtitutionem, alioquin pro placenta uterum eximunt & abſcindunt, quale exemplum reci-

recitat ex D. Stapedio *Hildanus* Epiſt ad Doringium. Albo hæ corvo rariores, quia diſcere ab Anatomicis erubeſcunt obſtetrices, nec unquam diſſectionibus interſunt. Hinc negotium iſtud in Gallia & Italia Chirurgis committitur, Anatomes peritiſſimis, quicquid viros artem dedecere clamitet *Rod. à Caſtro* l. 4. c. 1. Aliter de Medico ſentit *Celſus* l. 7. c. 29. quem & ad partum mortuum & ſecundas admittit. Monet deniq; *Gordonius* p. 7. c. 17. ut obſtetrix ſecundas extractura, manum habeat parvam.

22. Si molli umbilici tractu non ſequatur ſecunda ſellæ puerpera imponatur, quaſi paritura, ſicut ſuadent *Paræus* l. 23. de Hom. Gen c. 17. *Foreſtus* l. d. Obſ. 80, quia obſtetrici ille ſitus commodior, & conatus puerperæ promovet. Sunt quæ in lecto enitantur, aliæ ſellam perforatam eligunt. Conſuetudini id concedendum, & robori cujuſq;. *Hippocrates* de ſuperfœt. ad deturbandas ſecundas, puerperam velut ſuper Laſano collocat, ſi ſupra laſanum ſedere nequeat, in ſella recubitoria perforata locat; Si verò præ imbecillitate prorſus ſedere neſciat, lectum à capite quam erectiſſimum exſtruit, ut deorſum declinet, & puerperam ſub alis ſupra ſtragula faſcia aut loro la-

ad rem *Cardanus* & *Rod.* *à* *Fonſeca* Comm. in Aph. quia aër pellitur ad pulmones,hinc ad diaphragma, quo preſſo premuntur inteſtina & uterus. In ſternutatione totum corpus parturientis commoveri & agitari probat *Harvejus* l. de Partu, exemplo juvenculæ, quæ licet ſtupida & comatoſa, adeò tamen penna ſternutatorio fortiori illita commota fuit, ut convulſione totius corporis tentaretur, quæ ab humeris exorta paulatim per univerſum corpus ad inferiora pertingebat, inſciaq; Matre naſceretur ſanus infans. Pro ſternutatorio Caſtoreum & piper laudat *Aetius* tetr. 4. ſ. 4. c. 24. In officinis proſtant uſitati pulveres ex floribus lil. convallium, betonica,Majorana, tabaco, ex quibus tamen ambra & Moſchus eliminanda. Nicotianæ pulveri, ſi minus efficax ſit, helleborus ſubſtituendus. Nonnunquam evulſi narium vibriſſi ſufficiunt. Cautione tamen hic opus. Præcedant medicamenta per os ſumenda, ſuaſu *Heurnij* l. 1. Meth. ad Praxin. Præterea abſtinendum ab illis, monente *Aetio* l. d. ſi vires debiles fuerint.

10. Vomitum procurat *Nic. Myrepſus* ſect. 38. de Propom. c. 109. & ſapa ovo crudo & aqua calida. Eundem pro exitu ſecun-

ſecundinæ commendat *Iſaac* l. 6. Viat. c. 17. (quod *Conſtantinus* Aphricanus ſuo nomine divulgavit,) cineremq; aqua infuſum & colatum cum ſem. malvæ in aqua calida, & crocum propinat. *Guinterius Andernacus* de Puerpera, qui ex Bibliotheca Schenckiana prodiit, ſuccum Borraginis laudat. Inſerto digito vomitum ciet *Bourgeſia* Obſ. Obſtetr. c. 14. Mihi vomitus ſuſpectus videtur quia nixum puerperæ impedit, uterumq; cum ventriculo ſurſum revellit, niſi cum *Gordonio* p. 7. c. 17. exiſtimemus, ſuſcitari virtutem expulſivam partium inferiorum, quæ ſuſcitata expellat nociva. Addo commoveri ſecundas, & facilius deinde utero excuti.

11. Naribus admovenda gravi odore fœtentia, quæ uterum & in illo contenta fœtore ſuo à ſe propellant, ut aſa fœtida, Caſtoreum, ſuffitus ex ſtercore bovino, canino, columbino, plumis perdicis, ungulis animalium, inprimis capræ, equi &c. Partibus verò profundius à Natura occultatis benè olentia apponenda, moſchus, ambra, ſuffitus ex caſſia, nardo, ſabina &c. Quibus & os uteri laxatur, & aſtu quodam grato ſecundæ eliciuntur. Ne ad nares gratus odor tranſmeet, ſtragulis diligenter inferi-

ſeriores partes obvolvendæ. Peſſi quoq; conficiantur,& uterini clyſteres.

12. De balneo & inſeſſu dubitatur. Suadet *Aëtius* l. d. *Gordonius* l. d. *Aquapendens* in Oper. Chir. Difficultatem tamen video. Facilè enim vires dejiciunt, & calore ſuo vaſa dilatant, augentq; fluxum ſangvinis, præſertim in plethoricis. Si tamen ob ſiccitatem os uteri clauſum ſit, diligenterq; puerpera cuſtodiatur, damnari prorſus non poſſunt. Aliòquin præferendi ſacculi abdomini impoſiti, inunctiones, cataplaſmata, & emplaſtra, quorum formulæ paſſim apud Medicorum filios proſtant.

13. Magnam famam habent Ætites, ſeu lapides Aquilinares,noſtrarum quoq; feminarum felici experientia noti. Adalligatos gravidis mulieribus retinere partus *Plinius* tradit l. 35. c. 21. qvod eleganter *Solinus* Polyhiſtor. c. 37 ſpem uteri defendere dixit. Quid fluxus abortivi ſint, docet alter Polyhiſtor *Salmaſius*. Uterq; verò, *Plinius* & *Solinus* addere debuiſſet, cui corporis parti ætites ſit applicandus. Diſertius id ſignant *Aëtius* tetr. 1. ſerm. 2. c. 32. *Dioſcorides* l. 5. c. 161. *Camillus Leonardus* l. 2. de Lapid. *G. Agricola* l. 5. Foſſil. c. 17. *Aldrovandus* l. 4. Muſ. Metall. c. 4. *Anſ. Boot.* l. 2. de gem. &

Lap.

Digitized by Google

Lap. c. 198 appenſum nempe lapidem ſiniſtro brachio prohibere abortum, & femori ſiniſtro alligatum partum accelerare, ut ſine doloribus pariat puerpera. Subinde tam potenter femori appenſus trahit, ut niſi fœtu ſecundiſq; eductis removeatur, uterum ipſum prorſus extra locum ſuum dimoveat. *Valleriola* l. 1. Obſ. 10. exemplum vidit in conjuge Urbani Prætoris Valentiæ, quæ neglecto poſt puerperium in femore ætite, elapſa matrice, fuit extincta. Gravidæ ſignaturam gerunt ætites, moreq; prægnantis alium lapidem vel arenulas continent, ut notat *Barth. Anglicus* l. 16 de Propr. Rer. c. 39. Nec ſine his pariunt aquilæ, autore *Plinio* l. 36. c. 21.

14. Cingulum corij humani in precio eſſe cæpit, neſcio quo ſuo merito. Vel enim alia ligamenta idem efficiunt, vel certe inutilis eſt ejuſmodi ligatura, in hyſterico affectu quidem laudanda, hic vero oppido importuna. Conſtringuntur enim muſculi abdominis, ut in expellendo ſegniores evadant. Forſan hoc fine ætites in pelliculis ſacrificatorum animalium incluſit *Plinius* l. d. Nec minus peccant, qui frictionibus manu rudi validis ſecundas conantur deducere. Tantum proficiunt, ut excoriata cute

dolo-

Digitized by Google

dolores augeant & tormenta, unde poſtea vigiliæ, febres aliaq; mala ſubſeqvuntur. Manus ſola ſuper ventrem validè appoſita ſufficiat, præſertim cum circa pectinem dolores ſenſerit fœmina, conſilio *Rod. à Caſtro* l. 4. de Morb. Mul. c. 7. & lenta manu à lateribus ad ventrem reducendæ, monente *Bourgeſia* c. 14. Obſ. Obſt. quaſi tremula frictione.

15. Manus opera ſæpiſſimè neceſſaria ad educendas ſecundas. Facillima ea eſt, ſi os vulvæ apertum, & ſecunda ſejuncta reperitur, non connata, circa aliquam uteri partem inſtar pilæ convoluta: Siniſtra enim manus calida (alii dextram amant) & pingvedine inuncta ſeu oleo cheirino, vel amygdalarum dulcium, vel liliorum alborum, vel mucagine altheæ, in profundum immittenda, arreptaq; ſecunda leniter extrahenda, ut docent *Aëtius* tetr. 4 ſ. 4. c. 24. ex Philumeno, *Paulus Ægineta* l. 6. c. 75. *Albucaſis* de Aff. Mul c. 78. *Donatus ab Altomari* de med. hum. corp. mal. c. 115. *Fr. Pedemontius* c. 18. ſum. 4. *Balduin. Ronſſeus* de hum. vit. Primord. c. 22. *Jo Marinellus* l. 3. de Med. mulier. c. 13. *Campanella* l. 6. Medicinal. c. 21. Artic. 13. *Henr. Petræus* Ench. Chir. l. 10. c. 15.

16. Ope-

16. Operatio facilior ſuccedet, ſi umbilicus vel non reſciſus ſit à fœtu, vel reſciſus adhuc promineat, ita enim hujus ductum facilè manus obſtetricis vel Chirurgi ſequetur, & fœtus ſi adhæreat, pondere ſuo deorſum promovebit ſecundam ex *Hippocrate* l. de ſuperfœt. Antiquatus verò noſtris obſtetricibus iſte mos, quæ edito infante ſtatim umbilicum decurtant. Pro antiquo pugnat *Rod. à Caſtro* l. 4. c. 7. ſed ultra ſex horas non differt. Nos huc nulla compellit neceſſitas, quia manus obſtetricis trahentis id pondus ſpondet quod adhærens fœtus, qui ſine ratione trahit. Reſecto umbilico & commodius obſtetrix venatur ſecundas, & tutius ipſe fœtus procuratur, & ab externis injuriis defenditur. Quod ſi utero cohæreat, ruptuſq; ſit umbilicus, & intro receſſerit, quanquam majori conſtet labore, neutiquam incerta ſpe relinquenda ſecunda, ſed leniter quærenda, & dextrè extrahenda.

17. Ne verbis meis credatur & experientiæ, quanquam & pro me anni intercedant, advocabo præter nuper laudatos, alios artis noſtræ peritos. Audiamus *Moſchionem* de Mul. Affect. c. 53. & ex eo *Geſnerum* Harm. Gynæc. p. 1. c. 14. Cum infans in manus obſte-

obſtetricis ceciderit, ſi ad umbilicum adhuc cohæret, obſtetrix debebit etiam attentare leviter hac & illac adducens, an per ipſum umbilicum infantis poſſit foras adduci, adjuvante conatibus ſuis & ipſa parturiente, idq; fiat quando fundo non adhærent & orificium patet. Sed ſi ruptus vel præciſus umbilicus ſtatim ſe intus abſconderit, orificio Matricis patente, perunctam manum ſtatim obſtetrix immittere debebit, & ſi jam ad fundum matricis receſſerint, & obvolutæ ſint & natent, quacunq; parte apprehenſis tolli debent. Eadem eſt ſententia *Martini Akakiæ* l. 2. de Morb. M. c. 8. *Nic. Rochei* de cur. M. M c. 30. *Jac. Rueff.* l. 3. de Muliebr. c. 4. *Mercati* l. 4. de puerp. affect. c. 4. *Rondeletij* Meth. cur. c. 65. *Ranchini* de Morb. in part.

18. Modum clarioribus verbis exponens *Aquapendens* in Operat. Chir. dextra manu inuncta, intus in uterum immiſſa, ſecundas ſe extraxiſſe teſtatur: Etenim ubi manu ad uteri fundum pervenit, ſtatim digitis inter placentam & uteri tunicam interpoſitis, ſic eam ungvibus parumper circumciſis & retuſis, & ſummis digitis ab utero totam ſeparavit & felici ſucceſſu extraxit. Lucem feneraturus *Scipio Mercurius* l. 2. de Obſtetr.

c. 30.

Digitized by Google

c. 30. jubet Obſtetricem funem cum ſecundis inventum ſiniſtra manu apprehendere, & dextram inter uterum & ſecundas ingerere, digitoq; ſeparare adhærentes ſecundas, ſicut lanij pellem animalib⁹ detrahunt. *Galenus* κατὰ δάρσιν vocat, freqvensq; eſt Anatomicis membranas levi digitorum inſertione diviſuris.

19. Si os clauſum, non ſtatim deſiſtendum ab opere, ſed præeunte *Aëtio* l. d. reliquiſq; ſupra laudatis, perfuſionibus pingvibus utemur, & per manus digitos leniter aperire ac dilatare conabimur, cataplaſmatis, ſternutatoriis, potionibus, ſuffitibus tentabimus, tumq; ſi aperiatur os, man⁹ altera immittenda. De ſpeculo uterino ne verbum addo.

20. In omni verò extractione, ne error committatur, votoq; excidamus, neceſſariæ Cautiones notandæ. Inprimis cavendum, ne in directum trahatur, ne uterus ſimul educatur, ſed obliquè hac illac vertenda ſecunda, ſenſimq; validius attrahenda, monentibus *Aëtio* L. d. *Moſchione* l. d. *Hildano* Epiſt. ad Doring. *Foreſto* l. 28. Obſ. 79. *Lal. à Fonte* Conſ. 118 Blanda quoq; manu non vi aut ſubitò agendum, ob metum inflammationis *Hipp.* l. de ſuper fœt. *Trincavell.* l. 6. c. 28. ne ſimul anima & ſecunda edu-

educantur, *Mich. Joh. Paſchalius* l. 1. Meth. cur. c. 59. Terreat nos puerpera Schiedamenſis apud *Foreſtum* l. 28 . Obſ. 80. in Scholiis, quæ cum obſtetrix quædam nimis audax ſubitò ad ſe ſecundinam retentam attraheret, illico in deliquium animi cadens ſtatim exſpiravit.

21. Caveantur veſicæ orificium, uteriq; membranæ, ne ungvibus lædantur, quod prudentem obſtetricem monere opus non eſt. Imperita eſt de umbilico puerperæ dubitatio, qui rumpi creditur, ſubitamq; mortem afferre. Si enim in partu vero ruptus non fuit tenſo abdomine, vanus hic erit metus, nec à manu obſtetricis periculum, quia extra uteri regionem ſub peritonæo ad hepar progreditur. Taceo falſum eſſe, rupto umbilico mortem repentinam inſtare, quod Proſectorum obſervationes refellunt. Obſtetrices probatæ & artis & fidei commendat Ulpianus 25. D. tit. 4. de Ventr. inſpic. Inprimis in obſtetrice requirimus rerum Anatomicarum peritiam, quod in Chirurgo quoq; deſiderat *Aquapendens*, ut ſciat ſitum, figuram & magnitudinem placentæ, & uteri, partiumq; genitalium conſtitutionem, alioquin pro placenta uterum eximunt & abſcindunt, quale exemplum reci-

recitat ex D. Stapedio *Hildanus* Epiſt ad Doringium. Albo hæ corvo rariores, quia diſcere ab Anatomicis erubeſcunt obſtetrices, nec unquam diſſectionibus interſunt. Hinc negotium iſtud in Gallia & Italia Chirurgis committitur, Anatomes peritiſſimis, quicquid viros artem dedecere clamitet *Rod. à Caſtro* l. 4. c. 1. Aliter de Medico ſentit *Celſus* l. 7. c. 29. quem & ad partum mortuum & ſecundas admittit. Monet deniq; *Gordonius* p. 7. c. 17. ut obſtetrix ſecundas extractura, manum habeat parvam.

22. Si molli umbilici tractu non ſequatur ſecunda, ſellæ puerpera imponatur, quaſi paritura, ſicut ſuadent *Paræus* l. 23. de Hom. Gen c. 17. *Foreſtus* l. d. Obſ. 80, quia obſtetrici ille ſitus commodior, & conatus puerperæ promovet. Sunt quæ in lecto enitantur, aliæ ſellam perforatam eligunt. Conſuetudini id concedendum, & robori cujuſq;. *Hippocrates* de ſuperfœt. ad deturbandas ſecundas, puerperam velut ſuper Laſano collocat, ſi ſupra laſanum ſedere nequeat, in ſella recubitoria perforata locat; Si verò præ imbecillitate prorſus ſedere neſciat, lectum à capite quam erectiſſimum exſtruit, ut deorſum declinet, & puerperam ſub alis ſupra ſtragula faſcia aut loro la-

to & molli ad lectum alligat, ne lectulo erecto corpus ejus ſubterlabatur. Λάσανον vas eſt humanis neceſſitatibus ſubſerviens. Significat etiam χυτροπόδες ollas culinarias pedibus inſtructas, quod habet *Suidas*, *Heſychius*, *Pollux*. Videndus de illo *Fœſius* in Oecon. Hippocratica. *Horatius* l. 1. ſat. 6.

Pueri laſanum portantes, œnophorumq;

Ubi *Pulmannus* Laſanum exponit, quo venter exoneratur, quem qui ferebat λασανοφόρος olim vocabatur. *Turnebo* quoq; l. 13. Adv. placet iſta notio, ut alvo ſubſerviat. Aliis matula. Simile erat ollæ culinariæ altioribus pedibus inſtructæ, quia utrumq; denotat λάσανον. & Hippocrates l. d. in altum quid comparatum eſſe vult, ut ſecundæ pondere fætus propendentis extrahantur. Unde *Bayſium* l. de Vaſcul. p. 142. errare conſtat, qui laſana virorum vocat, mulierum verò σκάφιον. Sellæ recubitoriæ perforatæ, quam Cous ἀνάκλιτον δίφρον τετρυπημένον appellat, puerperisq; concedit, alvo exonerandæ vaporiq; recipiendo deſtinatæ, ex thermis Romanis figuram oſtendit *Jo. Rhodius* patriæ noſtræ ornamentum Not. ad Scribonium comp. 193. Heliogabali luxus eo pervenerat, ut teſte *Ælio Lampri-*

pridio, onus ventris auro exceperit, in myrrhinis & onychinis minxerit.

23. Omni labore provideat obſtetrix, ut tota ſecundina eximatur, nec particulæ relinquantur, ſuaſu *Mercurialis* l. 3. Morb. Mul. c. 4. *Bourgeſiæ* c. 14. quia creditur vel fruſtulum relictum, mortem inferre, *Joël* l. 8. Prax. ſ. 4. c. 3. Coriarij uxori apud *Hippocratem* l. 2. Epid. ſect. 2. cum peperiſſet & ſoluta eſſet perfectè, viſum eſt ſecundinæ aliquod membranoſum remanere. Erupit quarto malè. Nam ſtrangurioſa fiebat, cujus ſtranguriæ cauſam exponit *Valleſius* in commento. Mulieri apud *Hollerium* Obſ. ſing. 9. poſt 15 annos à connubio parere contigit. Laboravit multum à partu. Secundæ ſubſtiterunt; evulſæ fruſtulatim. Febris nata, ſeptimo die mortua. In diſſecta inventa fuit caro oblonga adnata utero, & membranarum parum quæ computruerant.

24. Procurandum ut vires conſtent, qvum conatibus ſuis ipſa puerpera adjuvare debeat, *Moſchion* l. d. Hinc in craſtinum non differenda operatio, niſi os vulvæ clauſum ſit, tum enim ad tertium diem *Aëtius* differt. Peracta exercitatione manuali, conſilio *Celſi* l. 7. c. 29. compreſſis in unum fe-

minibus, in conclavi illa collocanda eſt, modicum calorem ſine ullo perflatu habente. Leniendæ partes, quieti danda puerpera, virium inſtaurationi incumbendum, quod nec inter initia omittendum fuerat, & lochiorum ratio habenda.

25. His accuratè expenſis, injurij ſunt & in artem noſtram, & in mortalium ſalutem, qui manus operam in extrahendis ſecundis damnant, qvum tuta ſit nec infelicis ſucceſſus exemplis ſuſpecta, præſertim ſi vires ſint robuſtæ à partu facili, primis diebus exerceatur, interna ſimul propinentur, perita ſit facilisq; obſtetrix, umbilicus promineat, pateat os uteri & ſecundæ in utero liberæ ſint. Pollicentur quotidie puerperarum exempla eventum proſperum. Etiam connatas utero ſecundas manu eximi feliciter, non ſemel de puerperis teſtari poſſum. Nihil periculi video, metusq; vanus eſt. Molam *Hildanus* Cent. 2. Obſ. 52. manu eduxit. Fœtum mortuum manu ex voto extrahi autor eſt *Hippocrates* l. de ſuperfœt. & *Celſus* l. 7. c. 29. Cur de ſecundis deſperandum, quæ ſua ſponte in partu naturali ſeqvuntur. Imò eadem ratione ſecundas educi ibidem docet Cous, & confirmat *Celſus*, cujus hic modus: Medicus dein-

deinde (extracto fœtu mortuo) ſiniſtra manu leniter trahere umbilicum debet, ita ne abrumpat, dextraq; eum ſequi uſq; ad eas, quas ſecundas vocant, qvod velamentum infantis intus fuit, hisq; ultimis apprehenſis venulas m mbranulasq; omnes eadem ratione manu diducere à vulva, totumq; illud extrahere, ſi quid intus præterea concreti ſangvinis remanet.

26. Infortunata ſi quæ memorentur exempla, non arti nec artifici, ſed accidentibus aliis imputanda. De filia ſua Catharina refert *Smetius* l. 10. Miſcell ad ann. 1598. à retentione ſecundinæ poſt partum & molas, tertia hebdomade obiiſſe, quanquam varia remedia, ſed fruſtra adhibita fuerint, digitisq; obſtetricis aliqua chorii fruſta educta ſint, ac forcipe chirurgica correpta eximere conatus ſit ipſe, præ dolore tamen puerperæ intolerabili, abſiſtere eſſe coactos. Dolor à difficili partu & molarum excretione. Oritur & ille à rudi obſtetricis manu. *Vallerio'a* l. 5. Obſer. Med. 5. Andrivam uxorem Antonij Boſſicandij Arelatenſis memorat, qvum puerum feliciter peperiſſet, retentis ſecundis & imperitè viq; evulſis, miſerè mortuam eſſe. In facili verò partu, obſtetrice perita, ſecundis

Digitized by Google

ſolutis & facile prodeuntibus, extra teli hujus jactum ſunt puerperæ, quanquam & præter ſpem ex tranſverſo ſubinde ſuccedant quæ non expectes, febres aliaq; ſymptomata, ſicut mulieri evenit extra foſſæ aqueæ portam habitanti apud *Foreſtum* l. 28. Obſ. 80. quæ quidem, à tertia obſtetrice perita eductis ſecundinis, paucos poſt dies incidens in febrem & fluxum ventris ad plures abiit. Ita ſi proſtratis prorſus uteri viribus ſphaceliſmus repentinus certam mortem adferat, qvod vidit *Harvejus* p.274. nosq; non ita pridem, nemo hujuſmodi mortalitatis incertiq; infortunij damna præſtare poteſt.

27. Tandem auxilio eſſe ſolet Natura, quæ relictam ſecundam vel ſtatim integram, vel putredine abſumptam poſtea expellit. Tertia die mulieri Lariſſæ, eadem noctis hora, qua puer ex utero excidit, l. 5. *Epid.* hiſt. 13. Inter rariſſimas enim fuit uxor DN. de Graſſer, qvæ narrante *Riverio* Cent. 2, Obſ. 3, poſt duos menſes cum dimidio, ſecundinam exſiccatam per fruſtula rejecit. *Hippocratis* eſt ſententia l. 1. de Morb. Mul. plerumq; ſecundas putreſcere, ſexto tamen aut ſeptimo die aut etiam poſterius exire. Fiduciam augent *Aetius* tetr.

4. ſ. 4.

4. ſ. 4. c. 24. *Æginetа* l. 6. c. 75. Si ſecunda educi nequeat, perturbari nos non debere, intra paucos enim dies putrefactam & in ſaniem diſſolutam excidere. *Zecchij* idem eſt conſilium Conſult. Med. 68, quia naturæ opera feliciter interdũ extrudatur. In puerpera quadam præpingui noſtra obſtetrix Eliſabetha partem ſecundinarum facilè prodeuntem extraxit, ſed partem abruptam relinquere coacta eſt, propter veſicæ impedimentum. At poſt paulo cum lotio reſiduam partem ſponte ejecit natura, ſine alia vel mora vel noxâ.

28. Sed aliàs fallax ea ſpes, & anceps remedium eſt, ſi ſtatim à partu non ſequatur, Naturæ deinde negocium committere. Mora periculoſa, nec omnium robur perennaturum nobis polliceri poſſumus, aut ſucceſſus optati certitudinem. A putredine ſecundarum relictarum dira ſymptomata oriuntur, quæ ſuffumigiis demulcenda, & ſuppurantibus ad maturitatem provocanda. Cautè id faciendum monent *Mercatus* l, 4. c. 4. *Rondeletius* c. 65. ſubindeq; per intervalla injicienda quæ detergunt. *Lælius à Fonte* Conſult. Med. 118. quotidianam experientiam affert, puerperis graviſſima ſymptomata inferre ſecundinarum

dolores augeant & tormenta, unde poſtea vigiliæ, febres aliaq; mala ſubſeqvuntur. Manus ſola ſuper ventrem validè appoſita ſufficiat, præſertim cum circa pectinem dolores ſenſerit fœmina, conſilio *Rod. à Caſtro* l. 4. de Morb. Mul. c. 7. & lenta manu à lateribus ad ventrem reducendæ, monente *Bourgeſia* c. 14. Obſ. Obſt. quaſi tremula frictione.

15. Manus opera ſæpiſſimè neceſſaria ad educendas ſecundas. Facillima ea eſt, ſi os vulvæ apertum, & ſecunda ſejuncta reperitur, non connata, circa aliquam uteri partem inſtar pilæ convoluta: Siniſtra enim manus calida (alii dextram amant) & pingvedine inuncta ſeu oleo cheirino, vel amygdalarum dulcium, vel liliorum alborum, vel mucagine altheæ, in profundum immittenda, arreptaq; ſecunda leniter extrahenda, ut docent *Aëtius* tetr. 4 ſ. 4. c. 24. ex Philumeno, *Paulus Ægineta* l. 6. c. 75. *Albucaſis* de Aff. Mul. c. 78. *Donatus ab Altomari* de med. hum. corp. mal. c. 115. *Fr. Pedemontius* c. 18. ſum. 4. *Balduin. Ronſſeus* de hum. vit. Primord. c. 22. *Jo Marinellus* l. 3. de Med. mulier. c. 13. *Campanella* l. 6. Medicinal. c. 21. Artic. 13. *Henr. Petræus* Ench. Chir. l. 10. c. 15.

16. Operatio facilior ſuccedet, ſi umbilicus vel non reſciſus ſit à fœtu, vel reſciſus adhuc promineat, ita enim hujus ductum facilè manus obſtetricis vel Chirurgi ſequetur, & fœtus ſi adhæreat, pondere ſuo deorſum promovebit ſecundam ex *Hippocrate* l. de ſuperfœt. Antiquatus verò noſtris obſtetricibus iſte mos, quæ edito infante ſtatim umbilicum decurtant. Pro antiquo pugnat *Rod. à Caſtro* l. 4. c. 7. ſed ultra ſex horas non differt. Nos huc nulla compellit neceſſitas, quia manus obſtetricis trahentis id pondus ſpondet quod adhærens fœtus, qui ſine ratione trahit. Reſecto umbilico & commodius obſtetrix venatur ſecundas, & tutius ipſe fœtus procuratur, & ab externis injuriis defenditur. Quod ſi utero cohæreat, ruptuſq; ſit umbilicus, & intro receſſerit, quanquam majori conſtet labore, neu iquam incerta ſpe relinquenda ſecunda, ſed leniter quærenda, & dextrè extrahenda.

17. Ne verbis meis credatur & experientiæ, quanquam & pro me anni intercedant, advocabo præter nuper laudatos, alios artis noſtræ peritos. Audiamus *Moſchionem* de Mul. Affect. c. 53. & ex eo *Geſnerum* Harm. Gynæc. p. 1. c. 14. Cum infans in manus obſte-

obſtetricis ceciderit,ſi ad umbilicum adhuc cohæret, obſtetrix debebit etiam attentare leviter hac & illac adducens, an per ipſum umbilicum infantis poſſit foras adduci, adjuvante conatibus ſuis & ipſa parturiente, idq; fiat quando fundo non adhærent & orificium patet. Sed ſi ruptus vel præciſus umbilicus ſtatim ſe intus abſconderit, orificio Matricis patente, perunctam manum ſtatim obſtetrix immittere debebit, & ſi jam ad fundum matricis receſſerint, & obvolutæ ſint & natent, quacunq; parte apprehenſis tolli debent. Eadem eſt ſententia *Martini Akakiæ* l. 2. de Morb. M. c. 8. *Nic. Rochei* de cur. M. M. c. 30. *Jac. Rueff.* l. 3. de Muliebr. c. 4. *Mercati* l. 4. de puerp. affect. c. 4. *Rondeletij* Meth. cur. c. 65. *Ranchini* de Morb. in part.

18. Modum clarioribus verbis exponens *Aquapendens* in Operat. Chir. dextra manu inuncta, intus in uterum immiſſa, ſecundas ſe extraxiſſe teſtatur: Etenim ubi manu ad uteri fundum pervenit, ſtatim digitis inter placentam & uteri tunicam interpoſitis, ſic eam ungvibus parumper circumciſis & retuſis, & ſummis digitis ab utero totam ſeparavit & felici ſucceſſu extraxit. Lucem feneraturus *Scipio Mercurius* l. 2. de Obſtetr. c. 30.

Digitized by Google

c. 30. jubet Obſtetricem funem cum ſecundis inventum ſiniſtra manu apprehendere, & dextram inter uterum & ſecundas ingerere, digitoq; ſeparare adhærentes ſecundas, ſicut lanij pellem animalib⁹ detrahunt. *Galenus* κατὰ δάρσιν vocat, freqvensq; eſt Anatomicis membranas levi digitorum inſertione diviſuris.

19. Si os clauſum, non ſtatim deſiſtendum ab opere, ſed præeunte *Aëtio* l. d. reliquiſq; ſupra laudatis, perfuſionibus pingvibus utemur, & per manus digitos leniter aperire ac dilatare conabimur, cataplaſmatis, ſternutatoriis, potionibus, ſuffitibus tentabimus, tumq; ſi aperiatur os, man⁹ altera immittenda. De ſpeculo uterino ne verbum addo.

20. In omni verò extractione, ne error committatur, votoq; excidamus, neceſſariæ Cautiones notandæ. Inprimis cavendum, ne in directum trahatur, ne uterus ſimul educatur, ſed obliquè hac illac vertenda ſecunda, ſenſimq; validius attrahenda, monentibus *Aëtio* l. d. *Moſchione* l. d. *Hildano* Epiſt. ad Doring. *Foreſto* l. 28. Obſ. 79. *Lal. à Fonte* Conſ. 118 Blanda quoq; manu non vi aut ſubitò agendum, ob metum inflammationis *Hipp.* l. de ſuper fœt. *Trincavell.* l. 6. c. 28. ne ſimul anima & ſecunda edu-

educantur, *Mich. Job. Paſchalius* l. 1. Meth. cur. c. 59. Terreat nos puerpera Schiedamenſis apud *Foreſtum* l. 28. Obſ. 80. in Scholiis, quæ cum obſtetrix quædam nimis audax ſubitò ad ſe ſecundinam retentam attraheret, illico in deliquium animi cadens ſtatim exſpiravit.

21. Caveantur veſicæ orificium, uteriq; membranæ, ne ungvibus lædantur, quod prudentem obſtetricem monere opus non eſt. Imperita eſt de umbilico puerperæ dubitatio, qui rumpi creditur, ſubitamq; mortem afferre. Si enim in partu vero ruptus non fuit tenſo abdomine, vanus hic erit metus, nec à manu obſtetricis periculum, quia extra uteri regionem ſub peritonæo ad hepar progreditur. Taceo falſum eſſe, rupto umbilico mortem repentinam inſtare, quod Proſectorum obſervationes refellunt. Obſtetrices probatæ & artis & fidei commendat *Ulpianus* 25. D. tit. 4. de Ventr. inſpic. Inprimis in obſtetrice requirimus rerum Anatomicarum peritiam, quod in Chirurgo quoq; deſiderat *Aquapendens*, ut ſciat ſitum, figuram & magnitudinem placentæ, & uteri, partiumq; genitalium conſtitutionem, alioquin pro placenta uterum eximunt & abſcindunt, quale exemplum reci-

recitat ex D. Stapedio *Hildanus* Epiſt ad Doringium. Albo hæ corvo rariores, quia diſcere ab Anatomicis erubeſcunt obſtetrices, nec unquam diſſectionibus interſunt. Hinc negotium iſtud in Gallia & Italia Chirurgis committitur, Anatomes peritiſſimis, quicquid viros artem dedecere clamitet *Rod. à Caſtro* l. 4. c. 1. Aliter de Medico ſentit *Celſus* l. 7 c. 29. quem & ad partum mortuum & ſecundas admittit. Monet deniq; *Gordonius* p. 7. c. 17. ut obſtetrix ſecundas extractura, manum habeat parvam.

22. Si molli umbilici tractu non ſequatur ſecunda, ſellæ puerpera imponatur, quaſi paritura, ſicut ſuadent *Paræus* l. 23. de Hom. Gen c. 17. *Foreſtus* l. d. Obſ. 80, quia obſtetrici ille ſitus commodior, & conatus puerperæ promovet. Sunt quæ in lecto enitantur, aliæ ſellam perforatam eligunt. Conſuetudini id concedendum, & robori cujuſq;. *Hippocrates* de ſuperfœt. ad deturbandas ſecundas, puerperam velut ſuper Laſano collocat, ſi ſupra laſanum ſedere nequeat, in ſella recubitoria perforata locat; Si verò præ imbecillitate prorſus ſedere neſciat, lectum à capite quam erectiſſimum exſtruit, ut deorſum declinet, & puerperam ſub alis ſupra ſtragula faſcia aut loro la-

to & molli ad lectum alligat, ne lectulo erecto corpus ejus ſubterlabatur. Λάσανον vas eſt humanis neceſſitatibus ſubſerviens. Significat etiam χυτροπόδες ollas culinarias pedibus inſtructas, quod habet *Suidas*, *Heſychius*, *Pollux*. Videndus de illo *Fœſius* in Oecon. Hippocratica. *Horatius* l. 1. ſat. 6.

Pueri laſanum portantes, œnophorumq;

Ubi *Pulmannus* Laſanum exponit, quo venter exoneratur, quem qui ferebat λασανοφόρος olim vocabatur. *Turnebo* quoq; l. 13. Adv. placet iſta notio, ut alvo ſubſerviat. Aliis matula. Simile erat ollæ culinariæ altioribus pedibus inſtructæ, quia utrumq; denotat λάσανον. & Hippocrates l. d. in altum quid comparatum eſſe vult, ut ſecundæ pondere fætus propendentis extrahantur. Unde *Bayſium* l. de Vaſcul. p. 142. errare conſtat, qui laſana virorum vocat, mulierum verò σκάφιον. Sellæ recubitoriæ perforatæ, quam Cous ἀνάκλιτον δίφρον τετρυπημένον appellat, puerperisq; concedit, alvo exonerandæ vaporiq; recipiendo deſtinatæ, ex thermis Romanis figuram oſtendit *Jo. Rhodius* patriæ noſtræ ornamentum Not. ad Scribonium comp. 193. Heliogabali luxus eo pervenerat, ut teſte *Ælio Lampri-*

pridio, onus ventris auro exceperit, in myrrhinis & onychinis minxerit.

23. Omni labore provideat obſtetrix, ut tota ſecundina eximatur, nec particulæ relinquantur, ſuaſu *Mercurialis* l. 3. Morb. Mul. c. 4. *Bourgeſiæ* c. 14. quia creditur vel fruſtulum relictum, mortem inferre, *Joël* l. 8. Prax. ſ. 4. c. 3. Coriarij uxori apud *Hippocratem* l. 2. Epid. ſect. 2. cum peperiſſet & ſoluta eſſet perfectè, viſum eſt ſecundinæ aliquod membranoſum remanere. Erupit quarto malè. Nam ſtranguorioſa fiebat, cujus ſtranguriæ cauſam exponit *Valleſius* in commento. Mulieri apud *Hollerium* Obſ. ſing. 9. poſt 15 annos à connubio parere contigit. Laboravit multum à partu. Secundæ ſubſtiterunt; evulſæ fruſtulatim. Febris nata, ſeptimo die mortua. In diſſecta inventa fuit caro oblonga adnata utero, & membranarum parum quæ computruerant.

24. Procurandum ut vires conſtent, qvum conatibus ſuis ipſa puerpera adjuvare debeat, *Moſchion* l. d. Hinc in craſtinum non differenda operatio, niſi os vulvæ clauſum ſit, tum enim ad tertium diem *Aëtius* diſſert. Peracta exercitatione manuali, conſilio *Celſi* l. 7. c. 29. compreſſis in unum fe-

minibus, in conclavi illa collocanda eſt, modicum calorem ſine ullo perflatu habente. Leniendæ partes, quieti danda puerpera, virium inſtaurationi incumbendum, quod nec inter initia omittendum fuerat, & lochiorum ratio habenda.

25. His accuratè expenſis, injurij ſunt & in artem noſtram, & in mortalium ſalutem, qui manus operam in extrahendis ſecundis damnant, qvum tuta ſit nec infelicis ſucceſſus exemplis ſuſpecta, præſertim ſi vires ſint robuſtæ à partu facili, primis diebus exerceatur, interna ſimul propinentur, perita ſit facilisq; obſtetrix, umbilicus promineat, pateat os uteri & ſecundæ in utero liberæ ſint. Pollicentur quotidie puerperarum exempla eventum proſperum. Etiam connatas utero ſecundas manu eximi feliciter, non ſemel de puerperis teſtari poſſum. Nihil periculi video, metusq; vanus eſt. Molam *Hildanus* Cent. 2. Obſ. 52. manu eduxit. Fœtum mortuum manu ex voto extrahi autor eſt *Hippocrates* l. de ſuperfœt. & *Celſus* l. 7. c. 29. Cur de ſecundis deſperandum, quæ ſua ſponte in partu naturali ſeqvuntur. Imò eadem ratione ſecundas educi ibidem docet Cous, & confirmat *Celſus*, cujus hic modus: Medicus dein-

deinde (extracto fœtu mortuo) ſiniſtra manu leniter trahere umbilicum debet, ita ne abrumpat, dextraq; eum ſequi uſq; ad eas, quas ſecundas vocant, qvod velamentum infantis intus fuit, hisq; ultimis apprehenſis venulas m mbranulasq; omnes eadem ratione manu diducere à vulva, totumq; illud extrahere, ſi quid intus præterea concreti ſangvinis remanet.

26. Infortunata ſi quæ memorentur exempla, non arti nec artifici, ſed accidentibus aliis imputanda. De filia ſua Catharina refert *Smetius* l. 10. Miſcell ad ann. 1598. à retentione ſecundinæ poſt partum & molas, tertia hebdomade obiiſſe, quanquam varia remedia, ſed fruſtra adhibita fuerint, digitisq; obſtetricis aliqua chorii fruſta educta ſint, ac forcipe chirurgica correpta eximere conatus ſit ipſe, præ dolore tamen puerperæ intolerabili, abſiſtere eſſe coactos. Dolor à difficili partu & molarum excretione. Oritur & ille à rudi obſtetricis manu. *Vallerio'a* l. 5. Obſer. Med. 5. Andrivam uxorem Antonij Boſſicandij Arelatenſis memorat, qvum puerum feliciter peperiſſet, retentis ſecundis & imperitè viq; evulſis, miſerè mortuam eſſe. In facili verò partu, obſtetrice perita, ſecundis

 ſolu-

4. ſ. 4. c. 24. *Ægineta* l. 6. c. 75. Si ſecunda educi nequeat, perturbari nos non debere, intra paucos enim dies putrefactam & in ſaniem diſſolutam excidere. *Zecchij* idem eſt conſilium Conſult. Med. 68, quia naturæ opera feliciter interdū extrudatur. In puerpera quadam præpingui noſtra obſtetrix Eliſabetha partem ſecundinarum facile prodeuntem extraxit, ſed partem abruptam relinquere coacta eſt, propter veſicæ impedimentum. At poſt paulo cum lotio reſiduam partem ſponte ejecit natura, ſine alia vel mora vel noxâ.

28. Sed aliàs fallax ea ſpes, & anceps remedium eſt, ſi ſtatim à partu non ſequatur, Naturæ deinde negocium committere. Mora periculoſa, nec omnium robur perennaturum nobis polliceri poſſumus, aut ſucceſſus optati certitudinem. A putredine ſecundarum relictarum dira ſymptomata oriuntur, quæ ſuffumigiis demulcenda, & ſuppurantibus ad maturitatem provocanda. Cautè id faciendum monent *Mercatus* l, 4. c. 4. *Rondeletius* c. 65. ſubindeq; per intervalla injicienda quæ detergunt. *Lælius à Fonte* Conſult. Med. 118. quotidianam experientiam affert, puerperis graviſſima ſymptomata inferre ſecundinarum

retentionem, ut illarum plurima pars quarto die intereat. Periculoſum igitur ſuppurationem exſpectare, qvum de natura dubium ſit, & incerta ſymptomata. *Paræus* l. 23. c. 18. viſas mulieres narrat, quæ ſecundas, quas nulla ars revellere poterat, putridas, & temperie corruptas, fruſtatim per vulvam multis horrendis ſymptomatis ſupervenientibus excluſerunt. Ex relicto ſecundinæ fruſtulo malè auguramur. Quid de tota fiet, quam non ita facile Natura ſine ſui detrimento ſuperat. Sæpè ſæpius nulla ſuppuratio ſequitur, ſed ex retentis mors. *Joh. Chriſt. Eiſenmenger* Obſ 6. ad Horſtium l. 1. Part. 2. tres vel plures numerat, quæ ſubſequentibus uteri ſuffocationibus & lipothymiis intra paucas horas miſerè obierunt. Ipſe *Horſtius* Pater l. 1. Part. 2. Obſ. 21. in aliquibus retentionem ſalutarem, in aliis prorſus lethalem vidit. *Aquapendens*, in operat. Chir. in ſaniem verſas excidiſſe intra paucos dies annotat, licet interdum interierint. *Hollerius* Comm. in 5. Aph. 49. nonnunquam totas putrefactas die 2. 3. 4. 5. 6. 7. exire, aliqvando tamen ante mori puerperas. *Hildani* obſervatio memoriam meretur, cujus hic ex epiſtola ad *Doringium*, faciam compendium. Mariæ Peliſeriæ
poſt

Digitized by Google

poſt partum facilem, ſecundina remanſit. Illam qvum obſtetrix manu non extraxiſſet, multa variaq; medicamenta, eaq; calida fruſtra exhibita. Tertio die natura ſponte ſecundinam ſed putridam fœtidamq; expulit. Succeſſit febris continua, ardens, lipothymia, anguſtia pectoris, vigiliæ, inquietudines, fœtidus odor, alvi fluxus, ſubita deniq; mors die morbi decimo ſeptimo.

29. Si igitur de ordine remediorum propoſitorum ſit quæſtio, magno autorum conſenſu manuale ſe primò opus commendat, mox medicamenta, deniq; ſuppuratio. Siquidem negligens primo nixu fuit in expellendo Natura, obſtetrixq; in educendo, & nocet differre paratis, manus promptior erit & ſecurior, quam medicamenta, quæ vel nihil ſubinde obſervavi profeciſſe, ut inter raros eventus merito numerentur, vel tardius auxilium pollicentur & incertum. *Fabr. Hildanus* Chirurgorum Princeps, Reſp. ad Doringium, duplici nomine manus operam præfert. 1. quia medicamenta in actum deduci debent naturæ beneficio, quæ præcedentibus doloribus proſtrata, antequam novum robur cum tempore requirat, oſtium uteri clauditur,

putreſcitq; ſecundina, & putredine ſua adjacentes partes inficit, corrumpit, viresq; magis magisq; proſternit. 2. quia medicamenta expellentia pleraq; ſunt calida vel calidiſſima, partes internas ſupra modum excalefaciunt, unde febris, inquietudines, vigiliæ, aliaq; ſymptomata, atq; ut plurimum mors ipſa ſequitur. Magnus *Aquapendens* in Operat. Chir. ipſe primum manum intromittit unctam, & felici ſucceſſu ſecundam extrahit. *Lælius à Fonte* Conſ. 118. pro Cl. Blanga Miana puerpera, curationem ab obſtetrice auſpicatur. *Paræus* l. 23. c. 17. edito fœtu, vult obſtetricem blandè quantum fieri poteſt, *ſtatim* educere ſecundinam: Sin minus, etiam immiſſa in uterum manu revolvere, alias ſi quæ interponatur mora, majorem fore in extrahendo laborem, quia à partu uteri orificium ſtatim contrahitur & obſeratur. *Foreſtus* l. 28. Obſ. 79. ex Andreæ Cloetij uxore puerpera annorum 40, obſtetricis manu ſecundas evocavit. Quod etiam ſuadet *Wolrad Huxholtz* part. 1. de Obſtetr. c. 20.

30. Urgendum opus, ſi vel æſtas fuerit, vel ob graſſantes febres malignas ſuſpecta eſt omnis putredo, quæ currente anno puerperis noſtris fuit inimica. Loquatur

lau-

Digitized by Google

laudatus *Foreſtus* in ſcholiis: Edito tandem Partu, ſecundas lethaliter interdum hærere vidimus, quas non minus quam abortivum reformidamus, corruptionem enim accelerat. Propterea protinus eximendas procuramus *æſtate* præſertim, unde facile mulieres exanimari videntur, ubi putridi vapores cordis vitalia, ſtomachum cerebrumq; ſubeunt. Methodus hæc eſt *Aëtij, Pauli, Trincavelli* l. 6. de part. Gen. aff. ſ. 5. c, 28. *Scnerti* l. 4. Prax. p. 2. ſ. 7. c. 2. *Aquapendentis, Ranchini* de morb. in Part. & aliorum præſtantium Virorum, qvam tutò ſequimur, quia certum remedium in caſu periculoſo, præferendum incerto, nec in noſtra poteſtate ſunt hauſtæ medicinæ, nec Naturam ad arbitrium noſtrum volutamus.

31. In manu ſi operam oleumq; perdimus, ſive ob vulvæ os clauſum, ſive abſentiam umbilici, ſive quodcunq; ſecundarum uteriq; vitium; jam medicamentis iisq; fortioribus erit locus, confugiendumq;, conſilio *Aquapendentis*, ad ſpiritus cohibitionem, ad ſternutamenta provocantia, ad ſuffitum aromatum ex fictili, ad conquaſſationes, ad clyſteres emollientes &c. Nec velim eorundem remediorum uſum ante diſſua-

Digitized by Google

diſſuadere, quam manum ſalutarem adhibeamus, ut junctis utriusq; copiis promtius malum expugnetur, conatusq́; tam puerperæ quam obſtetricis promoveatur.

32. Tandem ubi prorſus pertinaces hæſerint, nec ulla ſeu manus ſeu aliorum auxiliorum operâ ceſſerint, puerpera exquiſitis epulis recreanda, hortante *Jaſone* l. de Part. c. 5. cordialibus conſervanda, & expectandum ſi forte labefactæ diffluant, perq; ſaniem diſſolvantur. Subinde ſuppurantia in uterum injiciantur, & detergentia, ne exulceretur uterus, ne pravus fœtensq; odor puerperas extingvat, odoramenta aſſiduè ſuggerantur, ex cardamomo, caricis, bdellio, ſabina, rhure, ſtyrace, lapide gagate, onyge, ladano. Deniq; ſymptomatis ſupervenientibus, quæ horrenda eſſe ſolent, quantum in Medico occurrendum, & reliqua naturæ benignitati, Dei q; inprimis clementiæ relinquenda. Satius quippe eſt anceps experiri remedium, quam nullum, ubi cætera conclamata:

——— *Multos alterna reviſens*
Luſit, & in ſolido rurſus fortuna locavit.

HIST.

HIST. XL.

Alvi pertinax obſtructio.

PIncerna Regius, Vir corpore athletico, ſed antiqua fide & virtute, poſt viſcerum intemperiem & gravem morbum per 18 dies alvum habuit ſuppreſſam, cui ter injecti clyſteres, ſed in ventre reſtitantes, & alia medicamenta exhibita, non potuere ad obſequium ſollicitare. Tandem qvum omnia videret eſſe conclamata, nec ullam ſupereſſe ſanitatis vitæq; diuturnioris ſpem, amicos convocat, inſciisq; Medicis aliquot vini Rhenani cyathos ebibit, ſolitas delitias, ultimum ita vale illis dicturus. Dehinc tamen, poſt vini, cujus uſu aſſueverat, hauſtum, ſiccatosq; calices, murmure in ventre oborto, liberaliter ſoluta alvus, ægerq; Medicis ſtupentibus celeri pede ad ſe & ſanitatem rediit, diuq; ſuperſtes inter amicos pancraticè vixit.

HIST. XLI.

Sphaceli remedium.

FErmentum quod cereviſiæ calenti poſt quinq; vel ſex horas demitur, ſphacelum

lum ſiſtit, experimento mulierculæ Batavicæ, quæ piſtori, cui ſequenti die crus amputandum erat, fermento ſuper linteum illito, non ſine Chirurgorum admiratione ſumma, naturalem cruri colorem conciliavit, continuatoq; ejus per aliquot dies uſu, ab omni labe miſerum vindicavit. Imminentem ex frigore gangrænam fæce cereviſiæ melioris extinctam in ancilla noſtra vidi.

HIST. XLII.

Uteri clauſi apertio.

PUella ſemeſtris, filiola Nobilis Viri menſe Junio 1658. ad meas ædes in urbe deferebatur, cui orificium colli matricis tenui membrana claudebatur, exiguo foramine prope clitoridem aperto pro urinæ excretione, quod vix aciculæ minoris caput æquabat. An hæc utriusq; lateris commiſſura à prima nativitate fuerit, an poſtea acceſſerit, nec à Matre nec aliis expiſcari potui. Naturale vitium negabat Mater, quod diebus abhinc quatuordecim ex urinæ ſtillicidio primum animadvertit, qvum antea liberalius fluxerit. Alii clam mihi retu-

retulerunt, excoriatæ parti miniſtrantium culpa impoſitum medicamentum adſtringens, quo excoriata latera coaluerunt. Quidquid ſit, clauſum viſebatur uteri collum tenui membrana obductum, quaſi hymē amplior juſto obtenderetur. Cæteroqvi ſana erat virguncula & alacris. Opem meam conſiliumq; implorans Mater cum puellula receſſit. Sequenti die cum Chirurgo ipſam reviſi, alteriusq; remedij ſpem negabam, niſi levi ſectione membrana diſcinderetur, agi de ſalute virgunculæ, difficilem urinæ & anguſtum eſſe exitum, impediri cum ætate grandiore matrimonium, & maximum ex menſtruorum impediendo fluxu impendere periculum. Annuit facilè uterq; parens. Hinc menſæ impoſitam puellam, nutrice mammas præbente, diductis cruribus ad ſectionem, magno molimine propter ejulatus continuos, compoſuimus. Levi ſcalpelli inciſione dividebat Chirurgus tenuem membranam parca cum hæmorrhagia, impoſitisq; ſtuppis ſubtilioribus ovi albumine imbutis, & emplaſtro albo, pertuſo pro lotij exitu, crura commiſſa ligavimus. Poſtero die ſtuppæ ſiccæ ſufficiebant, quia omnia benè ſe habebant, ſicq; aptam olim marito, ſi quis futurus, puellu-

ellu-

ellulam dimiſimus. *Benivenius* Obſ. Med. c. 28 in nubili puella eandem ſectionem feliciter expertus eſt, & in ſemeſtri *Hildanus* Cent. 3. Obſ. 61.

HIST. XLIII.

Vulvæ clauſæ ſpontanea curatio.

FOrte de præcedente operatione inter familiaria colloquia apud Matronam Primariam ortus ſermo, quæ mirabatur, autorem me fuiſſe ut manus ſectioni cruentæ adhiberentur, habuiſſe enim ſe filiam, cui naturalia à vitæ primordio clauſa, cum ætate tamen, ſponte ſua ſine ullis remediis reſerata fuiſſe, quæ jam elegantiſſimorum liberorum Mater eſt. Non negavi ſubtilem membranulam ſive nimio motu & partium attritione, ſive aucto corporis calore, ſive humorum acrimonia, poſſe diſrumpi; cæterum quia incertus eventus, nolle me certa remedia poſtponere, ſi enim cum ætate craſſior membrana evaderet, difficiliorem fore operationem. De calore quod dixi, experiuntur virgines Prayanæ in Campania quibus anno duodecimo rumpitur hymen, ut deflorentur omnes, interno æſtu exſiccante virginitatis clauſtrum.

HIST.

HIST. XLIV.

Cranij robur.

DEbiliſſimum eſſe ſinciput *Hippocrates* l. de Vuln. cap. pronunciat. At hac parte tam firmum compactumq; habet cranium Vir Religioſus quadragenarius, ut ſine damno rotam quadrigarum ſupertranseuntem pertulerit. Juvenis quidam haut ſatis compos mentis, pertranſeuntis caput ingenti lapide cocto ex alto editoq; loco colliſit. Sed ex ſimplici vulnere brevi convaluit optimus ille Deoq; dicatus Vir. *Pavius* & *Hildanus* ſimilia crania obſervarunt. De cranio Egilli Scallagrimij ex terra in Iſlandia foſſo narrat *Arngrimus Jonas* l. 2. Crymogææ ſeu Rerum Iſland. nec ſecuri nec malleo grandi ab adſtantibus potuiſſe frangi. Ad cujus firmitatem profuiſſe credunt, quod cranium undiquaq; undulatum, continuis velut ſuturis invicem undarum in morem ſuccedentibus & paululum quaſi aſſurgentibus.

HIST. XLV.

Loci in morbis mutatio.

C*Elſi* monitum eſt l. 1. c. 3. neq; ex ſalubri loco in gravem, neq; ex gravi in ſalubrem„ tranſitum ſatis tutum eſſe. Idq; in ſano ſtatu. Nam de morbis alibi l.2. c.1. peſſimum ægro eſſe cœlum monet, quod ægrum fecit. In peſtilentia, quæ loci vitio & hominum graſſatur, perutilis eſt loci mutatio, ſed hac cautione, ut viribus adhuc integris fiat, nec multum diſſito loco, aliàs ſubitæ hujusmodi mutationes periculoſæ. Notum in noſtris peſtilentiis, ſervos quamplurimos infectos ex ædibus dominorum vel extra mœnia urbis vel ad alia loca prope mœnia translatos convaluiſſe. Hinc in ſuburbiis noſtris Noſochomia olim exſtruebantur loco patulo & perflatili, lacui vicina, quo multi ægri deportati ad ſe redierunt. Alibi memini extra urbes tentoria frequentia tempore peſtilentiæ erecta, quo commigrant infecti. Quid in aliis morbis loci mutatio poſſit, nec *Galeno* ignotum, qui phtiſicos ad Tabias ablegavit l. 5. meth. c. 12. nec *Plinio*, qui ad ſylvas amandavit l. 24. c. 6. Quartanariis plurimis idem apud nos auxilio fuit. Cavendum, ne ſubita fiat mutatio. Hinc optimo conſilio in Noſocomiis Italiæ convaleſcentes in tectum primò demittuntur, quod planum ibi, præſertim

tim Neapoli, ut aëri ſenſim aſſueſcant, antequam in publicum prodeant. Veterinarij oves infectas in alium locum transferunt, ne ſcilicet earum labes ſanis etiam communicetur, ipſæ verò dum alia aqua, ſpirituq; alio fruuntur, ut roborentur & convaleſcant. Vide Conſtantinum Cæſarem Geopon. & *Vegetij* l. 1. Art. veterin. c. 17. Si loci mutatio impeditur, at aëris ſaltem procuranda, qui perflandus, temperandus & corrigendus odoribus vaporibusq; fragrantibus & alexipharmacis, ne ulterius incluſa malignitas ægrorumq; tabes, adſtantibus ægroq; ſit moleſta. Diligenter in quovis morbo attendendum, ne nimia ſuperſtitione clauſis feneſtris, ægri inficiantur & intereant, qui alioqui ſervari poſſent.

HIST. XLVI.

Hydropica curata.

GEneroſa Matrona Catharina Krabbe annorum 60, ſed boni habitus & robuſta, neſcio qua viſcerum intemperie, in Aſcitem incidit diſtento in tumorem ventre. Omnia pro aquæ expurgatione ten-

tavimus, alvum ducentia, clyſteres, pilulas, pulveres, vina medicata, emplaſtra purgantia, diuretica, ſudorifera cum ſcorbuticis, laconica, ſacculos ſiccos ex tritico areſacto, ſem. cumini, carvi, gr. Juniperi, nonnunquam ex cineribus herbarum ſiccantium & arena & ſale benè ſicco, balnea ſeu inſeſſus, & ſacculos pro abdomine ex fol. menthæ criſpæ, Becabungæ, ſambuco, ebulo, chamæmelo, Meliloto, bacc. lauri, Juniperi, ſem. carminativis, &c. Nunquam omiſſis quæ viſcerum robori ſolent dicari. His tamen ſimilibusq; univerſa æſtate profecimus nihil, quanquam remiſerit nonnihil ſubinde tumor & abdominis tenſio, brevi tamen ad conſuetam menſuram rediit. Igitur domum circa hyemem digreſſura, ſecum clyſteres ſumpſit, Unicornu noſtrum Grœnlandicum, & Tragæam pro ſtomacho. Hiſce longa & moleſtiſſima hyeme 1658 per vices domi uſurpatis, tandem ſolo Unicornu noſtro non tantum largiſſimè in ſudorem eſt ſoluta, quem nunquam ferè antea ex voto Natura, etiam provocata, voluit excitare; Sed tumor quoq; univerſus ſubſedit, & ad conſueta munia prompta rediit, & adhuc laus DEo hyeme finita benè valet. Succrevit tandem tumor durus

ovi

ovi anſerini magnitudine in dextro hypochondrio, mobilis, qui decumbente Matrona Nobili à nobis tangebatur, in erecto verò corpore manus ſubterfugit, quem credidi eſſe glandulam omenti, imbibito humore ex morbi reliquiis tumentem, idq; bono ægræ laudatiſſimæ levamine. Forſan ſcirrhus eſt in aliquo inteſtinorum, qualem annotavit Cl. *Joh. Rhodius* noſter Cent. 2. Obſ. 76. & frequentes tales ex ſero in hydropicis invenit P. *Guiffartus* Conſiderat. de Hydrop. 15. adeò ut ſine ſcirrho nullum hydropicū interire credat. Non adducor ut credam *Highmoro* Exerc. 2. de Aff. Hypoch. c. 3. tumores tales, quos glandularum eſſe medici hactenus æſtimavimus, à flatibus in gyris inteſtinorum, fibris laxatis, dependere. Nam laxatæ fibræ facilius flatibus exitum concedunt, quam perpetuum habitaculum. Præterea tumores illi duri eſſe ſolent, at flatu lenti non item.

HIST. XLVII.

A partu difficili mors.

CAtharina Johannis filia, uxor civis Haffnienſis, corpore obœſo & cache-

Digitized by Google

ctico, ſextum gravida catarrhis tuſſiq; vexatur. Gemellos verò geſtare creditur ob molem ventris amplam. Partus deinde laborioſiſſimus tribus diebus vere anni 1658 miſeram torquet & exercet, tandem puellam vi ſumma enititur, magnitudine binas æquantem, aliquot horis à partu extinctam. Incredibilis aquæ ſanguiniſq; copia ſucceſſit, & ſecundinæ utero connatæ, manu obſtetricis violenta ſunt extractæ. Præterea ob fœtus magnitudinem perinæum diſruptum fuit ſeu paries inter anum vulvamq;. Exinde debili puerperæ lochia præter morem ſubſtiterunt, unde dolor pungitivus in ſiniſtro Epigaſtrio, pleuritidem æmulatus, quem à lochiis retentis dependere ſuſpicati, ſaphænâ apertâ, ſed nihil ferè profundente, pulverem ad lochia pellenda *Plateri* in aqua bugloſſata dedimus, ſed loco ſacchari, utero inimici, ſubſtituimus Antheram Fl. lil. alborum. Rediere ilicò lochia, & dolor pungitivus remiſit. Vires tamen deficientes, cibi inappetentia, febris continua, reſpirandi difficultas à tuſſi diuturna, cum Hyſtericis paſſionibus, tertia hebdomade ſpiritum interceperunt.

HIST.

HIST. XLVIII.

Ex Pipere remedia popularia.

PErſamiliare remedium febris inter vulgus noſtrum ex pipere percrebuit, quo etiam cum ſucceſſu uſum magnum olim Selandiæ Epiſcopum D. Johannem Reſenium ſeniorem accepimus. In ipſa acceſſione piper cum ſpiritu vini exhibent, vel abſinthium in aceto coctum cum pauco pipere tribus diebus continuis propinant. Quanquam malè multis ceſſerit, non paucis tamen profuit ſive quod vomitum provocarit, ſive quod horrorem febrilem diſcuſſerit, quo conſilio ante acceſſionem allium, calidamq; aquam cum pipere laudat *Celſus* l. 3. c. 12. Et ante tremorem febris cum lauri baccis ſumptum piper frigus febrile compeſcere canit *Macer* de Herb. Virt. c. 66. ſive *Walfridus*, cui Mſti nonnulli codices illam carminis particulam aſſignant. Fr. *Joel* Sect. 2. de Febr: novem piperis integra grana plures dies deglutita liberare à quartana aſſerit. *Erneſtus* quoq; l. de ol. deſtill. oleum piperis ad gutt. tres cum myrrhæ rubræ ſcrupulo, ad horrorem præcavendum commendat. Sed leni purgatione prius corpore mundificato. Tantis autori-

Digitized by Google

bus ſe vulgus tuetur, quibus hæc aliaq; ſurripuit, ſibiq; aſcribit quod Medicorum docuit experientia. Ut in eadem linea pergam, piperis rotunda figura capitis ſpeciem refert, unde capiti dicatur. Quia verò & manifeſto calore pollet, frigidam cerebri emendat intemperiem, ex qua dolores capitis ſæpe emergunt. Pipere longo vel eſſentiâ piperis longi ſacculum ſuccino albo repletum imbuit *Hartmannus* in Pract. Chymiatrica, calidumq; ſuturæ coronali in dolore applicat. Aliter vidi externum remedium adhiberi. In contumaci dolore capitis quidam Centurio piperis pulverem cum ovi albumine ſubactum temporibus applicuit, ſæpiusq; repetiit; unde poſtea immunis à dolore capitis vixit. Alius idem remedij genus pari ſucceſſu nuchæ impoſuit. Alvum ducere in prunis emollitis cum *Cratone* in Conſiliis, experientia confirmat, cujus rationem ab acrimonia piperis repetit *Smetius* l. 2. Miſcell. Med. c. 59. Pro ſecreto refert in ſtomachi debilitate *Jo. Bapt. Theodoſius* Epiſt. Med. 9 ante cibum 4 vel 5 piperis grana deglutire. *Alexander* tamen *Aphrodiſæus* in Problematis quærit, cur piper & ſinapi integrè devorata, ventrem minimè excalfaciant, ſicut trita?

HIST.

HIST. XLIX.

Civettæ feminæ Anatome.

IN arce Regia Haffnienſi ob intolerabile frigus hybernum An. 1658, Civetta femina mortua eſt. Commodè defertur ad ædes D. Simonis Paulli, quo me convocat Vir laudatus, amicitia & affinitate mihi ſuſpiciendus, ut diſſectioni à filio inſtituendæ cum aliis intereſſem quos Anatomes curioſitas eò pellexerat. Gaudebam impensè hiſtoriæ primæ Centuria quarta ſignatæ complementum à me addi poſſe, vel eo nomine, quod nemo hactenus, quos viderim, Civettae feminæ interiora ſit ſcrutatus. Nihil tamen à mare differt, ſi vaſa generationi dicata exceperis. Mortis cauſa creditur frigus hyemis intenſum, quo minus Hyenæ aſſuetæ, unde paucus in corpore diſſecto ſanguis, isq; nigricans, craſſus & ferè congelatus. Renes ſani, plani, nec foraminulis diſtincti, quod in mare fuerat præternaturam.

Vaſa ſpermatica breviter luſtravimus. Uterus triangularis, cujus cornua utrinq; altius protenſa teſtes glanduloſos attingebant, hiulco tamen fine. A teſtibus liga-

mentum utrinq; membranoſum teres ad renum adipoſam tunicam adſcendebat. Os vulvæ prima fronte quadrangulare apparebat, latius verò diductum oblongius viſebatur. Sub hoc vaſculi Civetici oſculum eminet, in quo vaſculo ſeu clauſo ſeu diſſecto nihil ſingulare notavimus, nec ulla parte à maſculo differens, unde illi diutius non immorabimur, contenti in tabella ante oculos ponere ſitum partium & formam.

FIGURÆ PRIMÆ

Explicatio.

a. a. Renes, dexter & ſiniſter.

b. b. Renes ſuccenturiati, dexter major, anguſtior ſiniſter.

c. c. Venæ & arteriæ deſcendentis truncus.

d. d. Ligamentum teres membranoſum.

e. e. Teſticuli glandulis infinitis diſtincti.

f. f. f. f. Vaſa ſpermatica præparantia, partim ex truncis, partim ex emulgentibus orta.

g. g. Cornua uteri utrinq; protenſa.

h. Uterus ipſe.

i. Os vulvæ quadratum.

k. Veſica ad latus reflexa, ut melius cætera veniant in conſpectum.

l. l. l. l. Ur-

pag. 106.

3

Fig. 1.




Fig. ii.

Digitized by Google

Digitized by Google

l.l.l.l. Ureteres.

m. Inteſtinum rectum extra ſitum, ſupra vinculo adſtrictum & reſectum.

n. Anus.

o.o.o.o. Vaſculum Zibethicum rotundum ſeu globoſum, integrum adhuc, cum ſuo foramine patente, ſive

p. Oſculo vaſculi Zibethici.

FIGURA SECUNDA

Exhibens vaſculum Zibethicum per medium diſſectum.

a. Vulvæ per medium fiſſæ rima.

b.b. Orificia vaſculi Zibethici utrinq; conſpicua.

c.c.c.c. Rimæ ſeu fiſſuræ piloſæ vaſculi.

HIST. L.

Pulvis Febrifugus Peruvianus.

NUperis annis in Europam delatus eſt cortex arboris Peruvianæ, cujus pulvis ad febres tertianas & quartanas efficaciſſimus deprædicatur. Arbor ab Incolis Peruvianis vocatur *Gannanaperide*, ab Hiſpanis *Palo de calenturas* h. e. lignum febrium. Cortex ipſe *China* febris appellatur, colore ferrugi-

Digitized by Google

rugineo, ſapore amaro, à Gentiana non valde diſſimilis, ſed orbe noſtro ignotus. Unde Gentiana Indica fruticeſcens *Hoefero* appellatur l. 6. Herc. Med. c. 3. Romam ad Eminentiſſimum Cardinalem Lugo primo pervenit, exinde in Belgium. Romæ venalis eſt pulvis apud Patres ſocietatis JEſu, qui ſoli ex orbe Americano corticem habent, & per Europam diſtribuunt. Schedion Romæ Italica lingua prodiit de modo præparandi & aſſumendi pulverem, cujus hic ſenſus:

„ Cortex hic ex Peru Regno affertur, „ vocaturq; China China ſeu febris, qui fe-„ bribus quartanis & tertianis cum frigore „ invadentibus adhibetur. Hoc modo in u-„ ſum vocatur. Sumuntur drachmæ duæ, ſub-„ tiliſſime tritæ, & per cribrum pollinarium „ trajiciuntur. Tribus circiter horis ante pa-„ roxyſmum infundantur in phiala vini albi „ generoſiſſimi, & ingruente febrili horrore, „ primoq; paroxyſmi indicio vel leviſſimo, „ univerſa doſis præparata aſſumatur, & „ æger lecto committatur.

„ Notandum, exhibendum eſſe laudatum „ corticem prædicto modo in febre tertiana, „ aliquot dierũ decurſu inveterata. Præterea „ exhibeatur quoq; prædictus cortex in fe-bre

bre quotidiana cum rigore incipiente, & «
poſt febris declinationem æger quietus «
permaneat; nec aſſumatur niſi elapſis 25 «
vel 30 diebus, ex conſilio dominorum Me- «
dicorum. «

Experientiâ longâ omnes ferè illos li- «
beravit, qui eo uſi ſunt, purgato primum «
benè corpore, nec ullo alio medicamento «
per quatuor dies ab aſſumptione, propina- «
to. Cavendum tamen, ne porrigatur ſine «
dominorum Medicorum venia, ut judicent «
illi rectius commodum ſumendi tempus. «
Obſervandum, opus non eſſe forti alia pur- «
gatione ad hujus pulveris uſum, ſi per mor- «
bi neceſſitatem corpus ſatis ſit expurgatum: «
ſufficiet pridie alvum fuiſſe laxam quo- «
cunq; leniore medicamento vel clyſtere. «

Proficuum pulveris uſum experta ſunt Romæ aliquot hominum millia, qvum A. C. 1653. febres malignæ, quartanæ ſimplices & duplices in urbe graſſarentur. Archiater Pont. Max. Innocentij X, Experientiſſimus D. *Fonſeca*, pulveris naturam & indolem ſuaſu Cardinalis de Lugo, diligenter indagavit, & propriis experimentis edoctus non innoxium tantum, ſed etiam ſaluberrimum deprehendit. Ejusdem Cardinalis laudatur pietas, quod pauperculis & reli-

religioſis viris magnam copiam pulveris, quam propriis ſumptibus Romam adferri curavit, liberali manu diſtribuerit, de Medici tamen conſilio cujus ſchedulam ante monſtrari ſibi poſtulavit, quam pulverem elargiretur. Plus mille hujusmodi ſchedulas aſſervare fertur, totidem ſcilicet exhibiti feliciter pulveris teſtimonia. Datæ ſimiliter in Belgio sereniſſimo Archiduci Leopoldo Guilielmo 16. Oct. 1652, hora 7. veſpertina, duplici quartana detento pulveris febrifugi drachmæ duæ, quaternis Unciis vini albi veteris Hiſpanici permixtæ. Arſit nocte tota ſereniſſimo ventriculus, ultro citroq; commeante ac concertante Natura. Horis matutinis decimi ſeptimi diei remiſit febris, tandemq; intermiſit, ſuperveniente copioſo ſudore. Eadem die 17 circa veſperam invaſit eundem eadem quartana, ſed duplex: verum 19 & 20, qui dies erant febris utriusq; recurſus, neutra comparuit, adeoq; benè Archiduci ceſſit medicamentum, ut per dies 33, h. e. per undenos circuitus, qui 18 Nov. abſolvebantur, nullam ſenſerit febrem. Sed ſequenti ſtatim 19, relapſus eſt in eandem cum frigore, ſiti, oris amaritie, & ſalſugine. Ex qua recidiva elevat pulveris decantatum

tum uſum *Jo. Jac. Chiffletius* Primarius Medicus Archiducalis c. 4. qvod Bruxellis omnes quartanarios, qui ex aſſumpto pulvere ſe convalituros ſperabant, viderit relapſos. Cui dubio ut occurrat *Antimus Conygius*, Anonymus Autor Romanus, in Defenſione ejuſdem pulveris c. 3. jubet proximè recurrente paroxyſmo pulverem repetere, & certam convaleſcentiam ſpondet, rarò enim evenire, ut poſt iteratam ſumptionem perfecta valetudo non obtineatur, ſecus ſi contingat, tertio exhibendum pulverem, ut firma deinde ac longa ſanitas ſequatur. Quod recidiva ſubſequatur, craſſioribus pulveris partibus c. 8. imputat, quæ à ſubtilioribus ſegregandæ ſunt, ut ſola pulveris virtus ſine vitio exhibeatur. Ut autem ſegregentur, qvum altè & arctè inſint, longa maceratione opus eſſe, 40 ſcilicet vel 50 horarum, expreſſo deinde per telam laxiorem diluto. Fæcem, qvæ reſtat, inutilem eſſe & valdè terreſtrem, ut aquæ injecta perinde quaſi arena eſſet, magno impetu deorſum feratur. Pulverem in diluto ita exhibitum, juſta menſura, duarum ſcilicet drachmarum, ſed majòre vi & niſu expreſſo, febrem fugare citra ullum recidivæ periculum ipſe Conygius exper-

expertus eſt. Monet idem per deſtillationem ex eodem pulvere liquorem parari poſſe,qui eadem vi polleat, & longè facilius ſumatur. Seriem modumq; curationis in ſeipſo periclitatus eſt laudatus Conygius, ut c.7. teſtatur,qui ut commodius à febricitantibus exerceatur, quibus pulveris copia ſuppetit,quia inſigne remedium & hactenus in Europa deſideratum in uſum Medicum trahi meretur, hiſtoriam Morbi ab illo ſignatam breviter contraham.

Anno 1653, quinto Idus ſextiles in ſimplicem qvartanam Conygius lapſus eſt. Paroxyſmi diuturni erant, 20 circiter horarum, extremus horror. Transactis quatuor paroxyſmis, vis morbo acceſſit, & qvartana ſimplex in duplicem abiit, qua fractus viribus, alvo conſtricta & atrociſſimis colicis doloribus, proſtratus lecto affigebatur. Elapſis ab ortu morbi 40 circiter diebus,cum jam aliquid maturitatis humori febrili acceſſiſſe crederetur,ipſi bis corpus purgatum eſt, ſena, polypodio,caſſia &c. bis ſciſſa vena, qvibus tamen peractis nihil prorſus de rigore ſuo febris remiſit. Sub finem Septembris, expurgato iterum corpore, pridie ſcilicet ejus diei, quo febris recurrebat, Pulvis ipſi porrectus fuit,

fuit, Syracuſano vino eoq; generoſiſſimo & frigido maceratus. Sub initium paroxyſmi potionem hauſit, rigor febris ſolito major ſæviit, æſtus verò paullo remiſſior, cruciatus colici mitiores, delirium abfuit. Poſtridie paroxyſmum exſpectabat, ſed minimè acceſſit, nec etiam altera poſt die, dolores colici ſoluti, diſcuſſa febris & ſanitas reſtituta; Poſt 35 enim circiter horas ab aſſumpto pulvere, non ſine mediocri corporis agitatione, alvus ſoluta eſt, dejectioq; multiplex fuit, egeſtæ materiæ non magna copia, quæ ferruginei coloris erat, tenax & glutinoſa. Vix autem duo de viginti dies fluxerant, cum recidiva febris ipſum corripuit, paulò mitior, dolores colici æquè acerbi. Poſtero die alter paroxyſmus acceſſit. Die ſequenti, qua liber à febre fuit, ſenæ diluto, admixto cremore Tartari in juſculo vitulino purgavit corpus. Altero die, ineunte paroxyſmo iterum pulverem ſumpſit, eodem quo prius modo, nec diſpari eventu, ſed diverſa ſolutionis ratione, nam præter urinæ copioſæ fluxum, magna quoq; ſudoris copia toto corpore manavit, non ſine moleſto quodam pruritu. Per ſeſquimenſem liber à febre fuit, vireſq; receptæ, ſed dum ſe pro

ſano gereret, æger iterum fit, febrisq; revixit triplex, longè tamen mitior, breviores paroxyſmi, nullus rigor, modicum frigus, & vicem colici doloris ſupplebat tuſſis ſicca paroxyſmo imminente. Bruma erat, & ferè menſis excurrerat, cum ſena iterum corpus purgavit, ac pulveris febrifugi dilutum hauſit. Similis prorſus eventus fuit, ſed quia leviore tantum digito expreſſerat, doſis juſto minor fuit. Hinc ex triplici quartana ſimplex evaſit. Deinde novum dilutum paravit, quod quarto poſt die, novo paroxyſmo leviſſimo accedente ſumpſit in ipſo ferè brumali ſolſtitio, quo febris penitus extincta eſt. Dilutum pulveris in Syracuſano albo vino, citra ullam exterioris caloris operam paratum fuit, & per 40 circiter horas pulvis maceratus eſt. Modus ſolutionis per alvum fuit cum maxima & ferè incredibili vi ſputi, idq; prima vice; altera verò partim per urinas, partim per ſecreta effluvia, per aliquot dies lotio ubertim fluente.

Ego quoq; curioſitate remediiq; novitate accenſus, qvum corticis tres doſes Româ reduces amici mecum communicaſſent, experimentum in quartanaria feci. Lectiſſima puella juvencula, qvartana primum ſim-

ſimplici, deinde duplici, vario typo, ſpacio octo menſium divexata, nullis remediis potuit ſublevari. Tandem placuit pulverem Peruvianum exhibere, qvanqvam copiam faſtidiret. Aſſumpſit in vino maceratum, ſed per vomitum mox rejecit. Ex duplici tamen ſimplex evaſit, & mitior, ſed brevi poſt duplex rediit. Supererant nobis duæ doſes, quas, ne nauſeam excitarent, ſecundo modo per 40 horas in vino albo maceratas expreſſimus, expreſſumq; vinum bis dedimus ſine nauſea, nam ſapor potionis gratè amarus, quaſi ſemina citri guſtares. Iterum in ſimplicem mutata febris, ſed penitus extincta non fuit, nec ulterius experimentum facere licuit, ob corticis penuriam, qui copioſius ut advehatur autor ſum, quippe tantum tamq; efficax quartanæ remedium diu deſideravimus. Quod ſi fors copiam denegaverit, ſubſtitui poteſt gentiana, cujus extracto feliciter in quartana utimur, & ſuccum laudat *Cardanus* de Admirand. Curat. 24.

Arboris iconem beneficio *Hieronymi* Bardi Viri Clariſſimi nobiſq; faventis Româ per D. *Moinichenium* noſtrum accepi, quam curioſis hac tabella exhibeo.

Digitized by Google

ſano gereret, æger iterum fit, febrisq; revixit triplex, longè tamen mitior, breviores paroxyſmi, nullus rigor, modicum frigus, & vicem colici doloris ſupplebat tuſſis ſicca paroxyſmo imminente. Bruma erat, & ferè menſis excurrerat, cum ſena iterum corpus purgavit, ac pulveris febrifugi dilutum hauſit. Similis prorſus eventus fuit, ſed quia leviore tantum digito expreſſerat, doſis juſto minor fuit. Hinc ex triplici quartana ſimplex evaſit. Deinde novum dilutum paravit, quod quarto poſt die, novo paroxyſmo leviſſimo accedente ſumpſit in ipſo ferè brumali ſolſtitio, quo febris penitus extincta eſt. Dilutum pulveris in Syracuſano albo vino, citra ullam exterioris caloris operam paratum fuit, & per 40 circiter horas pulvis maceratus eſt. Modus ſolutionis per alvum fuit cum maxima & ferè incredibili vi ſputi, idq; prima vice; altera verò partim per urinas, partim per ſecreta effluvia, per aliquot dies lotio ubertim fluente.

Ego quoq; curioſitate remediiq; novitate accenſus, qvum corticis tres doſes Româ reduces amici mecum communicaſſent, experimentum in quartanaria feci. Lectiſſima puella juvencula, qvartana primum ſim-

ſimplici, deinde duplici, vario typo, ſpacio octo menſium divexata, nullis remediis potuit ſublevari. Tandem placuit pulverem Peruvianum exhibere, qvanqvam copiam faſtidiret. Aſſumpſit in vino maceratum, ſed per vomitum mox rejecit. Ex duplici tamen ſimplex evaſit, & mitior, ſed brevi poſt duplex rediit. Supererant nobis duæ doſes, quas, ne nauſeam excitarent, ſecundo modo per 40 horas in vino albo maceratas expreſſimus, expreſſumq; vinum bis dedimus ſine nauſea, nam ſapor potionis gratè amarus, quaſi ſemina citri guſtares. Iterum in ſimplicem mutata febris, ſed penitus extincta non fuit, nec ulterius experimentum facere licuit, ob corticis penuriam, qui copioſius ut advehatur autor ſum, quippe tantum tamq; efficax quartanæ remedium diu deſideravimus. Quod ſi fors copiam denegaverit, ſubſtitui poteſt gentiana, cujus extracto feliciter in quartana utimur, & ſuccum laudat *Cardanus* de Admirand. Curat. 24.

Arboris iconem beneficio *Hieronymi* Bardi Viri Clariſſimi nobiſq; faventis Româ per D. *Moinichenium* noſtrum accepi, quam curioſis hac tabella exhibeo.



HIST. LI.

Bubonocele raræ.

EX Falſtria ad me conſilij gratia acceſſit Vir annorum 30, euſarcus & ſani coloris, qui ab annis decem & quinq; in ingvinis ſiniſtri regione tumorem habuit amplitudine ovi anſerini. Nuper ab Empirico purgans medicamentum aſſumpſerat, quo ita ampliatus fuit tumor, ut jam caput meum magnitudine ſuperet. Surſum verò tendit lienem verſus, laxus & mollis, expers doloris. Bubonocelen eſſe non falſus ſuſpicor, inteſtino ileo propendente, à peritonæi ruptura. Cæterum quod ſurſum per rupturam inteſtina revoluta ſint, admiratione non caret, niſi hac parte hypochondriorum muſculos abdominis dilatatos vel præter naturam teneros dicamus. Hac parte dilatari vel rumpi peritonæum, & ſurſum transmittere viſcera, nuſquam memini proditum. Scrotum prorſus ſanum. Siquidem verò peritonæum ad ſuperiora dilatatũ fuit, periculo magno vacare prædixi, nec facilè deorſum per inguina & ſcrotum perruptura inteſtina propter peritonæi ea parte craſſitiem & robur. Interim vinculo

conſtringendum tumorem ſuaſi & Emplaſtro adſtringente inhibendum illius incrementum.

HIST. LII.

Rabies Animalium.

GAlenus l. 6. de locis Aff. c. 5. ſolum canem inter omnia animalia rabie corripi ſcribit. At *Avicennas* fen. 6. 4. tr. 4. c. 6. vulpes addit, muſtelas, ſimias, lupos & mulos. Battus apud *Theocritum* Idyl. 4. Perſuaſerit, credo, Milo lupis ut ſtatim fiant rabidi. Πείσαι τοι μίλων καὶ τὼς λύκος αὐτίκα λυσσῆν. *Ariſtoteles* l. 8. Hiſt. An. de camelis quoq; & equis teſtatur. De equis rabioſis tradit *Vegetius* l. 2. Mulomed. c. 5. quos ſæpiſſimè patria noſtra fert. *J. Palmarius* de Morſ. can. c. 1. ſues & lupos rabidos vidit. *Oppianus* l. 2. de Piſc. v. 509. Xiphiæ piſci arido cane exorto idem canit evenire. Quid pro excuſando *Galeno* produci poſſit, vide *Valleriolam* l. 3. Obſ. Med. 3. in Explanatione. *Hier. Montuum* Pract. part. 4. c. 13. In pago Sælandiæ noſtræ Bliſtrup Anno 1654 æſtate ferventiſſima ſues plurimi rabie correpti, ne occurrentes homines læderent, occiſi

ciſi ſunt. Eadem tempeſtate non pauci homines delirarunt. Inprimis verò delirium illos invaſit ruſticos, qui fervente ſole in campis ſub dio dormiveranr, quod retulit ibidem Eccleſiæ Paſtor Dn. Henricus Chriſtierni, apud quem diverteram. Ad inuſitatam equorum rabiem referimus inquietudinem à calidiore ſanguine commotam, qvum nonnunquam adeò inquietantur in equili, ut loco ſtare neſciant, hinniantq; & variè torqueantur, imò jubæ quaſi plica Polonica involvantur. Vulgus noſtrum Incubum credit,& conſilio hippiatrico ſubvenit. Abſcindunt jubam implicatam aëriq; expoſitam palo affigunt, transplantatione iſta morbum levaturi. Quod *Galenus* l. d. de rabidis canibus refert, tantam fieri in ipſis humorum corruptionem, ut illorum ſputum, ſi humanum corpus contigerit, rabiem excitare poſſit; idem de aliis dici poteſt animalibus, quæ morſu rabiem imprimunt. De Gallo gallinaceo verbo referam. olitor in hortis Nariis in Italia correptus improviſo inſultu à veteri Gallo gallinaceo, roſtro atroci, ac rubris pennis, morſu in ſiniſtra manu, ſanguineis guttis profluentibus viſus. A prima vulneris die ringens ore inventus, nec igne nec ferri

Digitized by Google

ullis præſidiis juvantibus, pugnacis galli inſtar decumbens, tertio die exſpiravit. Vidit id *Everhardus Vorſtius* Clariſſimus deinde Leidæ Doctor, ſicut ex ſchedis illius mihi retulit filius & doctrina & fama & dignitate Patri par *Adolfus Vorſtius*. Hujus conflictus quoq; mentionem facit *Baccius* l. de Venenis, & ſi vera de Baſiliſco veterum fama, in hoc gallo redivivus putatur.

HIST. LIII.

Spiritus Vitrioli damna.

QVum Neapoli degerem, ſolenni morte, ſed epidemica, deceſſit Antiſtes Religioſus, qui cum ſitis urgentis depellendæ gratia vinum ſpiritu chalcanthi, conſilio Medici urbis exercitati, dilutum, ut ſapore grato & refrigerante temperaretur, gargariſmi loco ſumſiſſet, brevi poſt ad plures abiit, excoriatione in gulâ obortâ. Eadem paſſa virgo apud Tulpium l. 3. Obſ. c. 43. Quo temperamento aquæ miſceatur in uſum ægrotantium docet *Angelus Sala* Append. ad ſpagiric. Theſaur. ſect. 2. n. 1.

HIST.

Digitized by Google

HIST LIV.

Ad dentium dolores remedium.

TOt remedia ad ſedandos dentium dolores proſtant, quot homines. Nemo eſt, qui huic ſymptomati non poſſit ſuo conſilio ſubvenire. Sed quia diſpar mortalium Natura & cauſæ doloris diverſæ, varius quoq; medicamentorum eſt eventus, ut quod uni profuit, alteri prodeſſe non poſſit. Qvum nuper excavatus dens inferioris maxillæ poſtremus impensè doleret, varia pro ſedando dolore obtundendoq; ſenſu nervuli externis injuriis patentis applicavi, qvæ vel ratio vel viſitantium amicorum conſilium ſuggeſſit, & quæ aliis proficua expertus fueram me ſublevare non poterant, nempe oleum Garyophyllorum, vitrioli, ſp. vini, Nicotiana, decoctum hyſſopi, ſalviæ, lac, Theriaca, ſemen ſtaphiſagriæ, maſtix & ſexcenta alia communi uſu probata. Ex unico alumine inveni ſolatium, quod ignitâ ſcutellâ fuſum in pulverum redigi, cumq; nuce moſchata, & mellis ſufficienti quantitate in mortario in linimenti formam permiſcui, quo per vices partem dolentem inunxi non vano

Digitized by Google

ſucceſſu, ſopiti enim dolores, & nox quieta fuit. Sed induciæ ſunt, nullum enim certius præſtantiusq; remedium excavati carieq, exeſi dentis eſt, quam ut à perito chirurgo per dentiducum eruatur, nam hoc pacto materia ad effluxum aditum reperit, judice *Cratone* apud *Scholtzium* l. 2. Conſil. Med. 30. Difficile tamen adducor, ut huic operationi me ſubjiciam. Terrent me veſtigia, vidi enim cui pars maxillæ cum dente eximeretur. Et Herophilus & Heraclides Tarentinus mori quoſdam detractione dentis memoraverunt, apud C. *Aurelianum* l. 2. Chronic. c. 4. cujus conſilio illi tamen dentes auferri debent, qui ſint faciles, vel mobilitate laxati, vel quibus ſufficiat plumbei ferramenti conamen. Digitus tum negocium conficiet, quod noſtris Chirurgis haud infrequens, & de annoſa muliere Arelatenſe annotat *Valleriola* l. 5. Obſ. Med. 3. quæ dentem putridum ſolo digito apprehenſum evulſit. Sunt circumforanei nonnulli, qui ſine inſtrumentorum ope promittant extractionem, ſola medicamenti alicujus inunctione, qua ſolutus vinculis ſuis dens levi tactu excidat. Hujus eventus certitudinem non rarò videas, & id per ranunculum viridem fieri fando accepi. Alij exu-

exuviis ſerpentum id tribuunt, nonnulli lacti tithymali cum farina. *Hartmannus* in Prax. Chym. pulverem lacerti aquatici, & dentem ex mortui maxilla affert. Pyrethrum in aceto coctum laudat *Capivacceus* l. 1. c. 52. Sed rectè monet medicamenta talia non è toto dentem evellere, in cauſa tantum eſſe, ut facile deinde extrahi queat. Imo *Paſchalius* l. 1. Cur. Morb. c. 23. non dubitat nobis perſuadere, majori dolore evelli medicamentis, quam inſtrumentis.

HIST. LV.

Oedemoſarca cruris.

CUm animi gratia circa feſtum viſitationis 1658. ad fontes noſtros S. Helenæ reviſerem, inter alios qui ſalutis recuperandæ ergo illuc confluxerant, vidi Virum florentis ætatis, cui crus dextrum in vaſtiſſimam molem excreverat, ut amphoræ ſimilius videretur quam cruri. Oedemoſarca hoc tumoris genus vocat *M. Aur. Severinus* l. 4. de Abſceſſ. c. 6. veteribus ignotum, cujus ibidem ſubjunxit figuram. Perſimilis illi erat noſtri hominis tumor, niſi quod æqualis à genu ad pedem extremum pro-

Digitized by Google

protenderetur, quaſi farcimen vidiſſes craſsiſſimum. Fruſtra illi limpida Helenæ aqua fluxit, cui calida emollientia magis ex uſu forent, niſi malum per longas moras invaluiſſet. Adde huic tumorem brachij Antoniæ Janinæ apud F*abricium Hildanum* Cent. 4. Obſ. Chir. 69.

HIST. LVI.

Exanthemata magna ſed benigna.

ANno 1658 vere & æſtate multos Hafniæ febris continua invaſit, nonnunquam cum delirio, in aliis ſine delirio, cum corporis totius laſſitudine, in qua exanthemata eruperunt lata, protuberantia, colore rubro vel pallidiori, in manibus ſolis vel reliquo corpore efflorescentia, quæ octavum diem raro transgrediebantur, & cum pruritu evanuerunt. Secta initio vena profuit in plethoricis, deinde Alexipharmaca & ſudorifera cum ſucceſſu optato tentata. Periculo vacabant, pauciſſimisq; fatalia fuere, ex ſangvine enim bilioſo calidoq; ebulliente, ſive vitio aëris, ſive exercitatione nimia, enata videbantur.

HIST.

HIST. LVII.

Calculorum in veſica obſervatio & magnitudo.

IN Sicilia calculo torquebatur Nepos Conſultiſſimi Carbunccij J. C. Patavini Primarij, Amici noſtri, de quo qvum mitterent Medici ſiculi Patavium, ut ſuper hoc affectu conſilium inirent Patavini, tam accuratam morbi hiſtoriam confecerunt, ut & numerum calculorum & magnitudinem in veſica contentorum expreſſerint, quaſi oculis inſpexiſſent, nempe tres eſſe calculos, duos oculi, tertium ovi magnitudine. Nolens verò æger Medicis ſectionem ſuadentibus obſequi, poſt paulò mortuus eſt. In aperto cadavere totidem calculi eadem reperti magnitudine, qua præſagierant Siculi, quod laudatus mihi Carbunccius narravit. Artificium autem reticuit, quod per ſyringam, ſeu melotidem, ut vocat *Cælius Aur*. l. 5 Chron. c. 4. divinavi. Aliàs fallunt calculi ſigna nonnunquam etiam exercitatiſſimos, de quo legendæ diſſertationes hujus argumenti ſcriptæ à *Salmaſio* & *Bererovicio*. Neapoli Monachus calculo laborare putabatur, & pro tali curaba-

Digitized by Google

rabatur. At in diſſecto mortuo nullus calculus deprehenſus, ſola urinæ acrimonia dolores cauſante, ſicut teſtis mihi fuit ibidem Cl. Vir D. *Antonius Santorellus.*

Propter veſicæ capacitatem grandiores calculi hic concreſcunt, de quibus pleni ſunt paſſim libri. Ovi ſtrutij magnitudine ex veſica militis ſervi exemit calculum D. *Jacobus Franciſcus Kotzebue* Medicus Eruditiſſimus, amicus cui multum debeo. Unciarum 18 octuagenario extractum notat *P. Borellus* Cent. 2. Obſ. 22. In vitriario Bremenſi 1571. repertum calculum ferè trium librarum ex autographo Chronic. Bremenſis ſcribit *Mich. Watſonius* in Syn. Phil. Contempl. Phyſ. p. 2. ſ. 3. c. 2. §. 5. & calculum 20 Unciarum 1646 ex corpore M. Joh. Sauberti. Singularem nuper è veſica calculum præviis cruciatibus excrevit Vir Clariſſimus *M. Petrus Spormannus* Hiſtoriarum P. P. Collega noſter meliore fortuna dignus, fragariæ fructu haud abſimilem figura & magnitudine, cum pedunculo, quo parti alicui videtur adhæſiſſe.

HIST. LVIII.

Tremor capitis à mictu ſanguineo.

Qua-

Digitized by Google

QVadrimus puer Nobilis, poſt diarrhæam & mictum cruentum in capitis artuumq; tremorem incidit, cætera ſanus vividiq; coloris. Evacuationibus nimiis debilitatum fuerat caput, motus quidem principium, ſed humiditatum ferax, ut necdum hac ætate voces proferre poſſit. Conſulti ſuaſimus inunctionem nuchæ ex aq. ſalviæ in qua caſtoreum ſit ſolutum, & pro linguæ motu expediendo ſalviam præſcripſimus ſucco herbarum Cephalicarum tingendam partiq; affectæ affricandam. Novi pauperem virum ſexagenarium, cui involuntariè tremunt membra omnia ob debilitatos fame & frigore artus nervosq;. Dives alius ejuſdem quoq; ætatis, eodem tremore concutitur, ſive nimio ſanguine repleto cerebro, quo poſt crebras evacuationes adhuc abundat, ſive nimiis compotationibus quibus junior amicorum in gratiam humaniſſimus Vir indulſit.

HIST. LIX.

Vulnera circa umbilicum lethalia.

ANcilla Sartoris Hafnienſis Anno 1654. die 2 April. à matrefamilias læſa, injuriasq; ultura, filiolum trium annorum unicum,

cum, ipſius ſartoris cultro aggrediebatur, tripliciq; in abdomine vulnere ſauciavit. Primum vulnus à dextra umbilici parte inflictum, alterum ſupra eundem, tertium à ſiniſtris ejusdem penetravit. Priora duo exilia, tertium amplius. Advocatus Chirurgus ora vulnerum conſuit. Tertio die deliravit, apertisq; ſuturis ſicca labia erant ſine ullo pure aut ſanguine, unde paucos poſt dies finiit vitam tenellam. Præter liquida nihil interea aſſumpſit, nam ſitiebat, quæ ſtatim tamen revomuit. Ex læſa per vulnus umbilicali vena adoleſcentem ſubitò expiraſſe obſervavit *Hildanus* Cent. 1. Obſ. Chir. 53. Architectum Pauli III. Pontificis Romani ex vulnere inter umbilicum & os ventriculi inflicto ſequenti die mortuum narrat A. *Luſitanus* Cent. 1. Curat. 61. quia in diſſecto cadavere ſtomachi infima pars inciſa conſpiciebatur, qvam in noſtro puero quoq; læſam facilè divinamus. An umbilicus abſciſſus vel ruptus ſubitò mortem inferat, quod Ægyptiorum ſupplicio permoti *Laurentius*, *Sperlingius* aliiq; Doctiſſimi Viri crediderunt, diſputavimus in *Anatome Reformata* l. 1. c. 37.

HIST.

HIST. LX.

Grata medicina pro pueris & delicatulis.

SI vel pueris vel nauſeabundis aliis exhibenda eſt medicina purgans, in juſculo vel cereviſia vel vino coquantur folia ſenæ, mechoacan &c. cum gratis corrigentibus, deinde propinetur juſculum cum aliis cibis in prandio, vel cereviſiæ panis exiguum pro jentaculo incoquatur. Idem decipiendi modus ſuccedet ſi in aceto eadem infundantur, & ex eo aceto in cœna acetarium conficiatur. Pro condiendis acetariis infuſionem habet *Tilemannus* Sect. 1. Mat. Med. Epulis incoquit folia ſenæ & polypodium *Botallus* de Lue. Vener. c. 20 In defectu verò foliorum ſenæ, quem interceptis bello commerciis his annis in Pharmacopoliis noſtris experimur, vel panem marſium ex pulv. mecoachannæ Uncia una, amygdal. Unciis tribus, & ſacchari Unciis totidem pro pueris cum *Cratone* apud *Scholzium* l. 2. Conſ. Med. 26, conficiemus; vel pro aliis melancholico ſucco turgentibus, foliis ſenæ ſubſtituemus colutheam veſicariam in hortis noſtris copioſius florentem, quod

noſtris ſuaſi, & felicem ſucceſſum expertus ſum. Quomodo hæc à ſena differat, ſingulari de ſena opuſculo poſt alios *Mizaldus* expoſuit.

HIST. LXI.

Epilepſia ex Renibus & veſica.

REferebat nobis Medicus Patavij Princeps *Benedictus Sylvaticus* Eques, vidiſſe ſe in Auſtria Principem Epilepſiâ laborantem ex Renum affectione cum veſicæ calculo. Hocq; ipſi malum fuiſſe hæreditarium narravit, à Matre calculoſa contractum, quæ Epilepticis convulſionibus ſæpe correpta, tabida tandem obiit. Ex *Toxite* memorabili exemplo ſimilem Epilepſiam mulieris adducit *Schenckius* l. 1. Obſ. Med. 195.

HIST. LXII.

Icterus ex Colica.

COlico dolore cruciabatur Conſultiſſimus Vir D. *Johannes Muller* Regius Profeſſor, Amicus & Collega noſter conjunctiſſimus, cui mitigando, quod forte ad manus

manus erat, ſudoriferum ſumpſit, quo, bile ad exteriora provocato, icterum ſibi advocavit inſcius; Sedato ita inteſtinorum dolore, per bilioſorum humorum ad extrema μετάςασιν, fœdum cutis colorem blandis cholagogis facilè delevi & exterſi. Subinde & ſponte naturæ critico motu bilis, colici doloris cauſa, ad externam cutem protruditur, abſceſſu univerſali, cujus non pauca exempla memini. De viis legendus muſteus *Caſtrenſis* liber, Quæ ex Quibus. Adſui juvenculæ, cui inſtantibus menſibus, ſed non prodeuntibus, icterus toto corpore erupit.

HIST. LXIII.

Tumor brachij verminoſus.

De ulcere verminoſo *Foreſtus* l. 7. Obſ. Chir. 10. tractat, & *Scolzius* Conſil. 320. In Cimbriâ noſtra non ita pridem Matronæ Nobili ingentes in artubus exorti cruciatus, qui ad mortem uſq; comitabantur, interea brachij dextri tumor erupit, vermibus ſcatens, cujus rei & hiſtoriæ raræ uberiorem deſcriptionem mihi & publico procuravit Vir genere & Virtute

 Illu-

Digitized by Google

Illuſtris Dn. *Ericus Roſencrantz* Toparcha in Roſenholm, Daniæ Nobilitatis decus, quam hic attexam.

NobilisMatrona quædam è Glambeccorum familia oriunda in Jutia prope Hottersneſium habitans, ſatis benè valens, licet ſexagenaria, Anno 1657 circa veſperam ingentem ab humero dextro ad cubitum uſq; ſenſit pruritum, quem neq; ſcalpendo neq; linteis abſterſoriis ſedare potuit, ut inſequentem noctem inſomnem planè duxerit, accedente tumore rubicundo dolorifico, totum ferè brachium occupante. Huic malo ut obviam iret Nobiliſſima Matrona, ſummo ſtatim mane Hottersneſio accerſit Chirurgum Chriſtophorum, qui inſpecto brachio, ex tumore pulſante & molli judicat ingentem adeſſe puris copiam, ideoq; apertionem ſuadet, quam etiam ægra doloribus valdè exagitata admiſit ſtatim. Itaq; ſectione inſtitutâ cum ingenti fœtidæ ac purulentæ materiæ copiâ vermes ultra XX, digiti longitudine prorumpunt, qui univerſum brachium ab humero ad cubitum uſq; ita exederant, ut præter cutem, venas & tendines extremæ manus, cum oſſibus nihil ex muſculoſa carne eſſet reliqvum. Vomicâ apertâ pruritus dolo-

dolorifici illico ceſſare, & ægra melius ſe habere cœpit, ita ut Chirurgum, poſtquam mundificantibus & glutinantibus uſus eſſet, & eidem reliquiſſet idonea poſthac adhibenda medicamenta, domum libenter remitteret. Illa nihil ulterioris mali ſuſpicans, commodè ſatis valens, bono animo erat, ſpe certâ freta naturam beneficam carne nova repleturam quod putredo abſumſerat. Aliquot diebus poſt Chirurgi diſceſſum, primò ſtuporem manus dextræ levem integro die cum difficili articulorum motu ſenſit, circa veſperam verò fuſcum quendam colorem in totâ manu advertit. Interea tamen benè valebat, & more ſolito, ulceris curam gerebat. Ad ſomnum ſe circa noctem componens, quietè dormivit, ſed mane expergefacta, integram manum cum cubito ſine omni prorſus dolore deciduam apud ſe in lecto reperit. Territa illa Chirurgum ſupra nominatum denuò advocari jubet, qui nihil aliud agendum exiſtimabat, quam ut, quod adhuc in brachio putridi reſiduum eſſet, removeret, cætera ut vulnus tractabat. Succeſſit ei ex voto quidem ſuſcepta curatio, ſed dubium an virium proſtratione, an ſenectute confecta, poſt aliquot menſes fatis conceſſit. Corrupti

rupti in matrona humores videntur, ut ex tanta putredine aliud ſperare nemo potuerit.

HIST. LXIV.

Antimonio viſo purgatio ſecuta.

STudioſus Academiæ Hafnienſis triſti vultu & animo, de violentis manibus ſibi inferendis conſilium iniit. Prius tamen de hoc conſcientiæ caſu conſuluit D. *Chriſtianum Oſtenfeld* Med. Profeſſorem Regium, Affinem noſtrum & Collegam perdilectum, qui nervoſis argumentis hominem in viam reducere allaborans, promiſit ſe arte medica ſuccos melancholicos, malorum cogitationum autores, eliminaturum. Interea infuſum Antimonii parat, & contubernali illius tradit, ut ſummo mane exhauriatur. Viſo infuſo, patiens dictum tactum nauſea orta rogat ut amoveatur medicamentum, ſtatimq; tanta humorum colluvies ἄνω & κάτω expurgatur, ut brevi poſt ſanus ſalvusq; Medico ſuo gratias hilari vultu & exporrecta fronte ageret. Sæpe enim ad medicamentorum præſentiam ægris alvus concitatur, ſive atomis per aërem diffu-

diffuſis, corpusq; intrantibus, ſive terrore & medicaminis averſione. Hiſtorias quorundam, quibus ſolo odore purgantium alvus turbatur, vide apud *Th. Eraſtum* diſp. de Propr. Medic. c. 60. Reticere non poſſum Pharmacopoei peregrini ignorantiam, qui regulum Antimonij in globulorum formam reductum & inter alia in Pharmacopæâ aliò tranferendâ ſuo vitro incluſum, pro globulis bombardi habuit, adeoq; ad Officinam non ſpectantia, & per errorem vel jocum ibi repoſita, rejicienda judicavit, quem ſalsè non ſine cauſa præſentes irriſimus.

HIST. LXV.

Stigmata ſingularia.

RUſticum in pago Sundby novi, cui dextra faciei pars tota ſemper rubet, velut eriſypelate obſeſſa, ſiniſtra parte pallida. Connatum id ſibi refert, & à matre contractum. Aliæ Nobiliſſimæ Virgini manus prope integra ſiniſtra eodem rubore ſemper perfuſa cernitur, ad collum uſq; protenſo. Nævis hiſce ferè feminæ ſolæ inuruntur, rarò mares. Vidi Matronam Nobilem quæ utero gerens, imaginatione

fixa ad quodvis objectum commota nævos fœtui imprimit, ſi femellas geſtat, quæ ſemper ſtigmata ſive in fronte, ſive pectore, ſive cruribus oſtentant, ſecus ſi maſculos conceperit.

HIST. LXVI.

Vitri devorati damna.

MIlitem amicum habui, qui maſticatum vitrum ſine detrimento faucium & ventriculi deglutiret. Infelicem tamen ſucceſſum expertus eſt alius Heduccus, cui idem tentanti & aliás aſſueto majuſculum vitri fruſtulum infimo œſophago inhæſit, cui eruendo nec vomitoria, nec alia ſubſidia profuere. Tandem vibebatur ſua ſponte deorſum protruſum. Inde poſt trimeſtre convulſionibus Epilepticis ſæpius miſeré fuit divexatus. Nota eſt de Lazaro vitrivorace hiſtoria, qui innoxiè vitro veſcebatur, quia nullum ex edulijs guſtum ſentiit, quarta nervorum conjugatione non ad linguam, ſed occipitium reflexa, obſervante *Columbo* l. 15. *Anat.* & *Marcello Donato* l. 4. Hiſt. Med. Mir. c. 1. De aliis *Hildanus* C. 6. Obſ. 35. conſulatur. Non nocere fruſtula deglutita, quia cibis immiſta deſcendunt,

dunt, ſententia eſt *Caſp. Hofmanni* Germanorum Doctiſſimi.

HIST. LXVII.

Ex Anſerino ſterno de hyeme præſagium.

MEnſe Auguſto feſtum erat anſerum apud Romanos, in obſervati Capitolij memoriam. Inter Chriſtianos feſtum S. Martini Menſe Novembri magna religione celebratur. Inprimis aſſis anſeribus omnium etiam pauperrimorum menſæ inſtruuntur. Cujus moris originem quidam inde repetunt, quod hanc pœnam anſeres luant, qui S. Martinum ſtrepitu ſuo prodiderunt; alij quod nimio eſu carnis anſerinæ mortis ſibi cauſam acciverit Martinus. Certè incerta omnia ſunt. Nam Martinum Epiſcopum ſtrepitu anſerum proditum, vel anſerina carne ad nauſeam ſaturatum, nusquam meminit in vita ejus *Sulpicius Severus*, intimus illius amicus, ſed Epiſtola tertia ad Baſſulam Socrum ſuam fide bona refert, qvum Condatenſem Diœceſin viſitaret, vi febrium per aliquot dies tentatum, non tamen à DEI opere ceſſaſſe, donec flagitantem divinis operibus ſpiritum cœlo redderet.

Digitized by Google

ret. Dum hæc ſacra Martinalia celebrantur, anſeresq; aſſi menſis inferuntur, ex ſterno diligentius conſiderato carneq; denudato de hyemis inſtantis vehementia & diuturnitate conjecturam facit vulgus. In protuberante enim pectoris oſſe obſervant, ſi majori ſua parte os transluceat, & ex copia pellucidi hyemem divinant aſperiorem. Si verò obſcuris partibus pellucidæ hinc inde interſerantur, inſtabilem hyemem præſagiunt. Ab inclyto Viro interrogatus in cœna quid de augurio hoc ſentirem, reſpondi, inſtabile eſſe judicium, quia variant ſterna anſerum, nec ſimilia facilè in multis invenias. Differentiam verò in oſſe pectoris, ex qua hyemis fata metimur, ex denſitate vel tenuitate oſſis dependere, denſius os viſum ſiſtere, tenuius transmittere, pro ætate deniq; anſerum vel tenuiora vel denſiora fieri. Dubium tamen eſt, cur idem os una parte denſius ſit, altera tenuius, niſi à carnium varietate ſubſidium imploremus. Variat & in hominibus ſternum, & in ſingulis ſubjectis tenuius eſt qua cartilagineum, & craſſius qua parte in os conſolidatum eſt. Sternum anſerinum ſeu ſpina ſterni eminens duplici conſtat tabella, (quæ in cygnis & gruibus manifeſtam cavitatem inclu-

cludit) per quam laxiorem venæ decurrunt, cruorque colligitur, qui ruborem oſtendit. In pellucida parte ob tenuitatem oſſis vaſa excluduntur. Hinc verò quid pro hyeme conficiemus? Unde pectoris anſerini oſſei cum hac tempeſtate conſenſus? Cur reliquis oſſibus idem præſagium denegatur, aliisq; avibus aquaticis? Addo variare inter ſe conjecturas, alijs obſcuram oſſis partem pro hyeme explicantibus, aliis aliam. Qvomodo veteres Aquilonares populi augurium ceperint, exponit *Olaus Magnus* l. 19. Hiſt. Septentr. c. 10: nempe ſi clarum eſt os pectoris anſerini eſis carnibus, hyemem rigidam futuram; ſi ſpiſſum & opacum, nivem plurimam, hyememqve tepidam ſeqvuturam. Monet præterea ante ſolſtitium hyemale Aquilonares augurium illud cepiſſe. Noſtri mores ad feſtum S. Martini adſtringunt, quod tum anſeres ſaginati frequentius eſitentur.

HIST. LXVIII.

Ventriculi & faciei conſenſus.

PUero annorum ſeptem quotiens oneratus ventriculus vomitu expurgatur, totiens

Digitized by Google

tiens in genis oriuntur tubercula ſangvinea, quæ diu remanent antequam evaneſcant. A vehementi conatu vomiturientium excandeſcere faciem & rubore perfundi, mirum noneſt, quia motu concitato corporis, premuntur vaſa & ſanguine vultus tumet, qui ſolito curſu redeunte laxatiſq; viis ſanguini, colorem nativum recipit. Oppido rarum accidit, quod permanentia tubercula, vel eryſipelas excitentur.

HIST. LXIX.

Jalappæ damnum.

COpiarum præfecto Chirurgus medicinam purgantem exhibiturus, radicis Jalappæ Drachmam integram dedit in pulverem comminutam. Ultra ſeptuagies inde illi alvus ſoluta & vehementer commota fuit, ut extremum ſpiritum videretur per inferius guttur redditurus, niſi adſtringentibus & roborantibus maturè ipſi fuiſſet conſultum. Uterq; vota nuncupavit, hic nunquam ſe tale medicamentum propinaturum, ille nunquam à Chirurgo ſumpturum. utroq; digna fuit pœnitentia. Integra drachma, niſi robuſtis, absq; corrigen-

gentibus vix exhibetur. *Fonſeca* quidem Conſult. 57. tom. 1. ex drachma una cum dimidia bene purgatus eſt, ſed graviſſimus dolor colicus invaſit. Rectè in pulvere potius exhiberi propter vim reſinæ purgatricem, monet Cl. *Joh. Schröderus* l. 4. Pharm. Med. Chym. Claſſ. 3. In noſtris officinis uſitatus eſt pulvis ex Jalappa compoſitus, quem in *Diſpenſatorio Hafnienſi* ſignavimus. Ejus hæc forma:

R. Pulv. Rad. Jalap. reſinos. Drachm. Decem.
Crem. Tart.
Tart. Vitriol. ana Drachm. tres.
Reſ. Jalap.
Scammon. ana Drachm. unam.
Ol. Aniſi ſcrupulum unum,
M. f. Pulvis.

PAlato gratus pulvis, blandè & ex voto ſurſum ſubinde deorſumq; ſeroſos bilioſosq; humores exturbat, ſi pro cujusq; robore & ætate à granis decem & quinq; ad mediam Drachmam offeratur.

HIST. LXX.

Meningum perforatio lethalis.

Quæ

QVæ ſymptomata meninges læſas ſequantur, tradit *Celſus* l. 5. c. 26. *Ægineta*, *Berengarius* l. de fract. cran. c. 3. qui de earundem quoq; periculo c. 13. prolixius diſſerit. Membranam ſubtilem, quippe cerebro innexam, ſine cerebro non poſſe lædi *Galenus* l. 4. de Præſ. ex Pulſ. c. 9, autor eſt, & vix id fieri poſſe conſentit *Aquapendens* l. 2. de Vuln. c. 13. nam externa tam arctè cerebro nectitur, ut ſine labore Proſectoris periti non poſſit ſeparari. Vix autem ſeparatur pia mater ab interioribus cerebri gyris ventriculisq;, quæ inveſtit. De hac igitur verus eſt *Galenus*. In vrbe noſtra 1658. novitius Chirurgus gladio ſubtili per os frontis vulneratur, punctura per membranam duram & piam penetrante, vix cerebrum attingente, quod ex diſſecto cadavere comparuit. Quarto tamen die ſine ulla membranarum inflammatione è vivis exceſſit.

HIST. LXXI.

Habitus Medici in Peſtilentia.

HIppocrates l. de dec. Hab. ornatum in Medico requirit haud curioſum, nec diffilu-

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



Digitized by Google

diffluentem aut ſuperfluum, ſed l. de *Offic. Med.* veſtem decenter compoſitam, explicatam, æqualem in cubitis & humeris. At ſi contagioſa lues præſentem vel Medicum vel Chirurgum poſtulet, potius ſecura veſtis eligenda, quam quæ ad cultus venuſtatem comparatur. Chirurgos in Galliis memini ſæviente lue veſtem ſingularem induiſſe, non ex panno vel lana conſutam, cui veneni ſemina facilè inhærent, ſed ex lino compreſſo & æquali ſimplicem & glabram, quam deponunt ab ægrorum infectorum cura redeuntes. Idem artificium æmulantur Itali, & in nuperâ peſtilentiâ Romana quæ A.c. 1656 urbem aliasq; vicinas devaſtavit, ſingulari habitu Medicos ſuccinctos accepimus, quod ex figura ad nos transmiſſa liquet. Quis olim Medici habitus fuerit, ex antiquitate eruditiſſimus *Jo. Henr. Meibomius* in Jusjur. c. 4. n. 33. ſeqq. illuſtravit. Pileus libertatis eſt inſigne, qui Æſculapio quoq; in nummis antiquis conceditur, & in ſiniſtris baculus, non nodoſus, quali forma viſitur in ædibus Farneſianis Romæ, & cauſam ex artis difficultate repetit *Feſtus*, ſed ſimplex, confidentiam artis notat, & indicium eſt commercij cum infectis, quo ſigno omnes qui cum infectis conſue-

ſueſcunt, inſigniri vult *Diemerbroeckius* l. 2. de Peſte c. 3. Vultui larva cera inducta prætenditur, & univerſo capiti, ne capilli μιάσματα imbibant. Æſculapius quidem barba denſa & fruticoſa depingitur, quam ei tamen Dionyſius ademit, teſte *Cicerone* & *Val. Maximo*, quia Pater ejus Apollo imberbis fuit. Utilior hæc Medicis barbæ criniumq; jactura, ne fætidi ægrorum halitus inhæreant. Deniq; paropia oculos muniunt, & naſus roſtro longius protenſo involvitur, ut alexipharmaca & bene olentia contineantur, & à Medico ſuſpirio attrahantur. Damnat odores hos in Medicis *Rod. à Caſtro* l. 3. Med. Polit. c. 4. partim quod mulieribus ſint ingrati, partim quod ad luxum femineum ſpectent: Cæterum venia hic dignus eſt Medicus, qui ſibi de neceſſariis proſpicit, ut diutius aliorum neceſſitati ſuperſit. De Quinto Medico Romano refert *Galenus* l. 6. Hipp. Epidem. comm. 4. quod à prandio divitem quendam hominem vini odorem vehementer ſpirans viſitaverit: Æger itaq; cum capitis dolore magnam febrim habens, atq; ideo vini odorem exhalantem ægrè ferens Quintum, ut longius aliquanto recederet, oravit, quoniam vinum immoderatius redolens ipſum

con-

contriſtaret. At Quintus, odorem ut æquo animo ferret, præcepit; nam & ſe quoq; ægrotum ex febre male olentem ſuſtinere dicebat. Habitu igitur hoc neceſſario & tuto magis quam decenti muniti Medici infectos inviſunt,& Chirurgi ſecurè bubones tractant, & exanthematibus fœdum corpus palpant, ſiq; eminentia hæc ſenſerint, ſingultu ſuperveniente, certum exitium prædicant, quod perpetuum mortis fuiſſe ſignum in peſtilentia noſtra magna An.1619, Chirurgus in urbe ad curandos infectos conductus, mihi aſſeveravit.

HIST. LXXII.

Lignum Foſſile.

LIgnum foſſile noſtrâ ætate in Umbria Aquaſpartæ inventum Cedro Mauritanico ſimile, de quo librum nuper edidit Romæ *Franciſcus Stellutus* A.C. 1641, figuris exornatum. Quænam laudati Viri de modo generationis ſit ſententia paucis exponam, quia paucorum manibus teritur. Naſcitur ex creta, quæ ſenſim in lignum vertitur ignis ſubterranei & aquæ ſulfureæ adminiculo. Igne aucto in carbonem tranſit,

Digitized by Google

ſit,vel in materiam lateri ſimilem. Neq; ex ſemine neq; ex radice naſci id probat,quod venis in longitudinem non altitudinẽ variet. Pondere ſuo aquis mergitur. Latera ejus coloris muſtellini venis deſtituuntur, ſolis interdum punctis candicantibus diſtincta, & recens eruta in aſſulas arcuantur. Igni admotum uritur, ſed lente & tetro fumo,ſecus ubi adoleverit,non facilè abſumitur. Cortex interdum fragilis,aliquando duriſſimus & aſper partim ligneus, partim cretaceus, dura medulla. Terram quoq; foſſilis hujus matricem inde conſtat, quod gleba ei adhærens humida à cœnaculo poſt aliquot menſes tota fuerit lignea. Reſinam mittit hoc metallophyton candidam maſtichi ſimilem, vel thuri, metalli quoq; filamenta quædam habet,itemq; capillamenta. Non eſſe arborem petrefactam obſervavit *Pereſchius* ut teſtatur in ejus Vita *Gaſſendus*. Varia fruſta tam cruda quam affabre in varias formas ciſtaſq; torta & elaborata mecum Româ dono Equitis Illuſtriſſimi *Caſſiani à Puteo* aſportavi. In Iſlandia lignum quoq; foſſile eruitur, ſed nigrum & aduſti coloris. Admiratione non caret,quod ex ſcopulis & rupibus ibidem exſcindatur, ubi nulla poteſt eſſe ſuſpicio, arbores unquam creviſſe.

Igitur

Igitur vero fit ſimile ex eadem, qua ſaxum, materia conflari, ſed molliore, quæ calore ſubterraneo aduſta fuit. Plura de hoc ligno annotat celeberrimus noſter *Olaus Wormius* l. 2. Muſ. c. 16. monetq; ex Iſlandorum relatione, pulverem contra tineas tueri veſtes, lignumq; ipſum ſpaſmo prodeſſe.

HIST. LXXIII.

Solſtitij ſigna.

MAgna in ſolſtitiis eſt rerum omnium, inprimis ægrorum mutatio, unde libenter à medicamentis hoc tempore Medici abſtinent, ne duplici onere & motu natura ſuccumbat. Momentum autem ipſum, quo ſol vel in cancrum vel capricornum ingreditur invenire ſupra mathematicorum hactenus ſolertiam fuit, quanquam huic actui ſolenni deſtinarint XI vel XII diem decembris ſtyliveteris, pro ſolſtitio hyberno, & XII Junij pro æſtivo, etiam ex *Hippocratis* Aſtrologia Medica, quam ſubjungam ſtilo Gregoriano accommodatam, Medicoq; utilem:

Ver incipit } 21 Mart.
Æquinoctium vernum }

Æſtas. Plejadum ortus	3 Maij.
Orion oritur	9 Junij.
Solſtitium	22 Junij.
Procion oritur	19 Julij.
Canis oriri incipit	27 Junij.
Canicula oritur	30 Julij.
Autumnus Arcturi exortus	5 Septembr.
Æquinoctium Autumnale	23 Sept.
Hyems Pleiadum occaſus	24 Novembr.
Solſtitium hyemale	22 Decembr.

Signa ſolſtitij habet *Plinius* l. 18. c. 28. quæ vera ſunt, ſi laxè interpretemur. Vulgus noſtrum propriis indiciis raró ſe falli credit. Nam ipſo momento Solſtitij butyrum in tonnis vel vaſe quocunq;, à marginibus ſuis recedit, quibus alias in vaſe firmiter adhæret. Tam hoc certum credunt, & indubitatum, ut negantes irrideant, abſtineantq; mulierculæ noſtræ, hoc viſo ſigno, à linteorum lotione, quod tum citius corrumpi putent. Alia habent experimenta, quorum necdum veritatem exploravi. Quod protuli, quivis experiatur, ut pro uſu Medico, certius de ſolſtitio ſtatuat, ubi verum invenerit.

Digitized by Google

HIST. LXXIV.

Vertigo monſtroſa.

MUlier quædam Patavina 1645, jam ab annis octo vertigine laborat, ſed levi, quæ tum demum illam corripit, qvum in templum ad ſacra celebranda venit, ſtatim tamen ceſſat. Aliæ mulieri melancholicæ adfui, quæ per quinq; annos vertiginem ſentit à ſiniſtro pede adſcendentem, cum vago & intenſo calore totius, capitis dolore & cordis palpitatione.

HIST. LXXV.

Manus ferè reſecta.

INter militem & fabrum ferrarium Fridericiburgi ortæ rixæ. Junior miles fabro ſeniori manum dextram ferè totam gladio acuto amputavit, ſectis per medium carpi oſſibus, ut manus cute ſola adhæreret, oſſibus, ligamentis, vaſisq; reſectis. Subitò advocatus Chirurgus Petrus, adhuc recentem recentiq; vulnere cruentam manum conſtringit, ſuoq; adaptat loco, & ligamentis firmiter nectit. Coaluere diſſectæ partes longo poſt tempore, manusq; ſanata quidem ſed præter levem

motiunculam digitorum, ad alios uſus remanſit inutilis, nempe per reſiduam cutis portiunculam nervuli remanſerant, unde exilis motus potuit dimanare & alia vitæ ſubſidia.

HIST. LXXVI.

Phthiſici Anatome.

PHthiſicus ex Noſocomio allatus Leidæ ſecabatur, ventre concidente, emaciatis artubus, prorſus tabidus. Viſcera interiora, lien, hepar, cor, à naturali facie nihil receſſerant, ut ſani eſſe hominis juraſſes. Pulmo ſiniſter integer, ſed coſtis adhærens. Dexter verò pulmo contrectatus fœtorem emiſit, & materiam purulentam, prope diaphragma enim ingens latebat apoſtema in pulmonis infimo lobo, quo manu ſectoris diſrupto, maxima puris fœtidi effluxit copia. Vivum qui inviſerant, pus quidem per ſputum obſervaverant expuiſſe, ſed parcius & ſine inſigni graveolentia, nondum enim ruptum fuerat apoſtema.

HIST. LXXVII.

Aquæ ſalſæ edulcoratio.

In

Digitized by Google

IN longis peregrinationibus nautæ ex dulcium aquarum defectu multa incommoda patiuntur, quæ experti ſunt etiam ex claſſe Regia circa exitum Anni 1657 ex mari Balthico reduces, qui aquâ marinâ in cibis coquendis & potu uſi fuerant. In urbium maritimarum, inter quas noſtra eſt, obſidione, aquæductibus ab hoſte dirutis, ſubinde marina aqua defectum fortanæ ſupplet. Igitur ex publico commodo foret, ſi aqua marina edulcorari, ſive ſal ab aqua ſeparari poſſet. Tres modi occurrunt, quibus huic neceſſitati ſufficimus, vel enim per coctionem, vel percolationem, vel præcipitationem à liquore ſuo ſalſæ partes divelluntur. In prioribus naturam habemus Ducem, in poſtremo Chimicorum artem, quæ quanquam vel ſpiritu Tartari vel aliis hujus cenſus vi quadam ad fundum propellant ſal, tamen tenuioris fortunæ hominibus & in itinere, hujus medij copia plerunq; denegatur. Gratis nos natura manuducit & pro indigentiâ copioſè inſtruit. Quemadmodum in univerſo fontes aquarum dulcium ex mari per montium, terrarumq; anfractus vel coctione ſeu deſtillatione quadam, quomodo fontes velut ex vaporibus emergere opi-

 nan-

nantur quidam vel percolatione producuntur; ita ſimili artificio naturam imitari poſſumus. Terna decoctione craſſiores aquæ marinæ partes ſeparari, tenuesq; remanere dulces prodidit *Caſſius* Medicus Problem. 64. In longis quoq; ad Indos peregrinationibus inſtrumenta deſtillatoria in navibus habent, quibus ex marina aquam dulcem eliciunt. *Fioravantius* l. 5. De ſecretis Rational c. 79. quomodo in magna copia deſtillari poſſit, docet. Quomodo verò ex ſale in aqua diſſoluto aqua dulcis extrahi poſſit, deſcribit *Blaſius Vigenerius* l. 2. de Igne & ſale pag. 238. ſeq. Sed teſtatur de his aquis *Mandeſlovius* l. 2. Itin. Orient. c. 14, ad cibos coquendos commodas, ad potum verò eſſe ingratas, quia ſapor ambuſtus, diverſusq; eſt ab aqua communi. Accedit quod ad hujusmodi operationes operoſas, & inſtrumenta ſubinde deficiant & carbonum lignorumq; copia, quorum defectum & obſeſſi & navigantes non rarò ſentiunt. Per arenas percolari ſalſedinem aquarum, effoſſis in littore puteis docemur. In littore ſinus maris, qui Roëskildiam noſtram alluit, fons aquæ dulcis erumpit, undiq; marina aqua circumlambente. Muranæ quoq; Venetiis ſimilis fons extat, qui cum mari Medi-

Mediterraneo fluxum habet & refluxum. De aliis à mare remotiorib⁹ res nota eſt. *Plinius* l. 4. Epiſt. ult: fons oritur in monte, per ſaxa decurrit, excipitur cœnatiuncula manufacta. Hujus mira natura. Ter in die ſtatis auctibus ac diminutionibus creſcit decreſcitq;. An quæ oceani natura, fonti quoq;. Ita in Inſula Melitenſi dulciſſimæ aquæ ſcaturiunt, quas ex mari profluere ſingulari obſervatione didicit *J. F. Abela* L. 1. de Malt. Notit. 12. Hoc naturæ in percolanda ſalſa aqua artificium, ſeqvutus, tres pluresve manicas Hippocratis, pro neceſſitate & navis commodo, modo majores, modo minores ex tela rariori confice, & arenâ benè ſiccâ & mundatâ impletas eo ordine diſpone, ut una alteri immineat. Hinc marina aqua arenæ infundatur, donec ſenſim per tres manicas guttatimq; ſtillando, ſalſedinem deponat, dulcisq; excipiatur. Per terram in decem vel 20 vaſis ſibi invicem ſuperpoſitis idem experimentum factum refert *Verulamius* Cent. 1. Hiſt. Nat. Exp. 2. Sed verè animadvertit differentiam inter terram & arenam, quod omnis terra ſpeciem quandam ſalis nitroſi contineat, cujus arena plerumq; (niſi calcinetur) eſt expers, nec terram tam exquiſite percolare

 poſſe,

poſſe, quam arenam. *Georg. Fournier* l. 3. Hydrograph. c. 31. aquam marinam in alembico deponere quidem ſalſedinem, ſed ſi 15 diebus continuis bibatur, neceſſario ſequi fluxum alvi. Ibidem & l. 9. c. 26. ollam cera obturatam in profundum maris demiſſam poſt paulo extrahi aquam dulcem, quia in cera ſal maris relictum fuit. *Plinius* teſtis eſt l. 5. hiſt. c. 31. tubo coriis facto uſq; à vado extrahi in Arcadia dulcem aquam, quem modum explicat & figura illuſtrat Amicus noſter magnus *Iſaacus Voſſius* in eruditiſſimis obſervationibus ad l. 2. Pomp. Melæ c. 7. v. 33. qui omnino legendus.

HIST. LXXVIII.

Fœtus mortui ſigna.

IN Conſultatione pro muliere gravidâ, ubi dubitabatur an fœtus mortuus vel vivus eſſet, experimentum fieri juſſit *Jo. Dom. Sala* Doctor noſter, manu aqua frigida madida, ventriq; impoſitâ. Quo facto fœtus deprehendebatur vivus, ob motum, quo noxium ſibi ex impoſitâ manu frigus evitare conabatur. Quod aliàs quoq; obſervaſſe me memini. Aliud experimentum,

an

an mulier gravida ſit, fætumq; vivum geſtet, Roſa nobili ſeu alia moneta aurea capitur. Ignitum aurum in vino lymphato extinguitur,quo hauſto, gravida manu ſupra ventrem poſita ſentiet fœtum moveri, ſi in vivis ſit. Tutò his ſimilibusq; non fidendum. Subinde enim fœtus, licet vivat & benè valeat, ante partus horam non movetur, quod pinguiuſculis feminis notavi accidiſſe. Aliæ 28, vel 30 hebdomade, aliæ medio geſtationis tempore, aliæ 8, 12, 14, 15. &c. hebdomade moventis ſe fœtus indicia ſumunt. Singulorum exempla inter noſtras feminas occurrunt, ut apud nos fallat Hippocratica ſupputatio.

HIST. LXXIX.

Maritus pro uxore puerpera dolens & decumbens.

LAurentius portitor arcis Fridericiburgenſis pluſculis abhinc annis, ſingularem cum uxore conſenſum aluit. Quotiescunq; inſtante partus momento uxori utero dolores exoriebantur,ille quoq; magnos dolores & cruciatus ſentiebat, ut mirè hinc inde ſe torqueret. Superſtitio vulgi mentes obſe-

Digitized by Google

obſedit, maritum participem fore puerperæ dolorum, ſi tunica puerperæ imponatur lecto mariti. Novi & ego conjuges, ſi mulier gravida primis menſibus nauſeabunda vomitet, vomere & maritum. Tibareni olim poſt uxorum partum, tanquam puerperæ eſſent, ipſi in lecto cubabant, quibus uxores ægræ miniſtrabant, quod prodidit *Scholiaſtes* Apollonij Rhodij lib. 2. ſect. 51. ex Nymphodori teſtimonio, & poſt illum *Cælius Rhodiginus* l. 18. Lect. Antiq. c. 30. *Joh. Hartungus* 1. Decad. c. de Ritibus. In Braſilia Viros quoq; decumbere & curare cuticulam, puerperas verò res familiares ſtatim curare, refert *Guil. Piſo* l. 1. Med. Braſ. p. 7. In Anglia uſitatum, ut Vir iisdem ſymptomatis afficiatur, quibus ipſa mulier prægnas ſolet, ut *Primeroſius* l. 2. de Vulgi Error. c. 13. narrat, ſed irridet. Siquidem vera ſunt quæ adduximus, ratio in utriusque conſenſu quærenda. Conſenſum amor arguit, qui tam efficax ut uno patiente, alter condoleat. Augetur conſenſus ex utriusque temperamento ſimili, quod arctius inter conjuges vinculum nectit. Hinc jam ratio patet, cur uxore afflicta, maritus in dolorum conſenſum trahitur, quemadmodum uterini fratres unoq; ſanguine creti,

ti, etiam locis diſſiti, ſimul variolis, aliisq; malignis morbis ſæpe corripiuntur.

HIST LXXX.

Oſſis ſacri dolor à vermibus.

PUerperæ Sælandicæ ex abortu exorti dolores intenſiſſimi in ſiniſtro Iſchio & oſſe ſacro, qui miſerè feminam annuo ferè ſpacio excruciarunt. Nihil reliquit intentatum, nec in conſulendis Medicis Urbis operam pepercit maritus. Luxatum os ſacrum in puerperio quidam eruditè ſuſpicabantur, ſed diligenter à me & Chirurgo pertentata viſaque parte, æqualia omnia apparebant. Uteri ligamenta in difficili partu laxata, quæ ad os Iſchij & crus pertingunt, uterumq; loco motum aliarum exemplo conjiciebam, ſed obſtetrix omnia rectè ſe habere fidem faciebat. Igitur in materia acri vellicante perioſtium Iſchij & Oſſis ſacri culpam quærebam, cui tamen eliciendæ mitigandæq; nulla remedia ſeu externa ſeu interna profuerunt. Ita in hyemem ſequentis anni 1658 miſeram doloribusque afflictam vitam in lecto traxit, qua mora decubitus exulcerata oſſis ſacri cutis ver-

vermiculos copioſos produxit, ſicq; cruciatibus confecta, eſſe deſiit.

HIST. LXXXI.

Oris & Podicis conſenſus.

EX Phyſiognomorum obſervationibus inferiorum cum ſuperioribus manifeſtus eſt conſenſus, ſingulisque faciei partibus certæ ex inferioribus reſpondent, naſo genitale membrum, genis nates &c. cujus rationem indagat *Lud. Septalius* l. de Nævis, & nuper accuratius Dn. de la *Chambre* libro ſingulari. Qvum hunc curioſo oculo evolverem, commodum conſilij gratia ad me venit uxor cereviſiarij Fridericiburgenſis cum filia quadrima & filiolo bimulo. Quadrimæ filiæ circa labium dextrum in angulo enata erat excreſcentia carnea rotunda, dura, piſi magnitudine, per medium, oſculi inſtar, diviſa, externè rubicunda, candida interius, quæ ad oris labiorumve motum vel aperiebatur vel claudebatur: circa anum quatuor perſimilia tubercula geſtabat non ſine moleſto attritu, in circumferentia ſphincteris ſita, ſed majora, quæ ut exſcinderentur autor fui. Filiolo univer-

niverſa bucca ſeu utrumque labium achoribus obſidebatur , qui anno vertente non potuerunt exſiccari. Præmiſſis interioribus, locum affectum ſulphure, creta cum butyro in ungventi formam mixtis inunximus, & exſiccante pulvere ſubvenimus.

HIST. LXXXII.

Cantharidum uſus internus.

DAmna Cantharidum intra corpus aſſumptarum deſcribunt *Dioſc.* l. 6. c. 1. *Æginetha* l. 5. c. 31. *Celſus* l. 5. c. 27. *Scribonius* Comp. 189. *Smetius* l. 10. Miſc. Med. pag. 547. *Botallus* de Ægr. mun. t. 58. *Salmuth* Cent. 3. Obſ. 23. aliiq;, & pro venenatis paſſim traducuntur. *Fabricius Hildanus* longo uſu artis exercitatus, Cent. 6. Obſ. Chir. 98, fatetur in morbis internis nullam de illis ſe habere experientiam, nec eas unquam exhibere voluiſſe, cum malignitatem earum in viro viderit. *Paulus* tamen l. 7. lit. c. nonnullos refert etiam medicamentis urinam provocantibus momentum ex ipſis admiſtum exhibuiſſe. de quodam ſuorum præceptorum idem teſtatur *Galenus* l. 11. Simpl. Med. Facult. & alibi

4. de

4. de Rat. Vict. acut. in hydrope olim exhibitas. *Rhaſes* 10. Continent. in cura lapidis commendat, *Fallopius* de Compoſ. Medicam. c. 13. *Paſchalius* l. 1. Cur. Morb. c. 47. aliiq;. In ſuppreſſione lotii intus per ſyringam mittit *Capivacceus* l. 3. c. 30. qui internum etiam uſum in Aſcite c. 19. concedit, ſed certis conditionibus. Inprimis advertendum ut integræ cantharides ſumantur, quod etiam fecit *Galenus* l. 11. Simpli. c. Med. Fac. quia extrema, quæ reſecantur ubi eroſio fieri debet, ſunt alexipharmaca ventris, *Galeno* etiam fatente l. 2. de Antid. c. 7. ſed contraria experientia repugnante *Henr. ab Heer* Obſ. Spad. 9. Fine igitur ſuo excidit *Fallopius*, qui l. de Ulcerib. c. 50. integras ſumit in veſicatoriis ſuis. Proximè cavendum, ut parva copia ſeu doſi exhibeantur, aliis permixtæ, ut illa quidem velut manu ad veſicam ducant, rodere tamen nequeant, conſilio *Galeni* l. 3. ſimpl. c. 23. Tandem præparandas eſſe urgent, ne noceant. Nonnulli forma pulveris, alii trochiſcorum, admixtis aliis corrigentibus, præparant. Tutiſſimum per infuſionem modum aperiam. Scrupulus unus Cantharidum in pulverem redactus, infundatur unciis tribus vel quatuor vini Rhenani, vel ſpiritus

Digitized by Google

ritus vini, ſtetq; in infuſione per aliquot dies, deinde per chartam bibulam filtretur, ut ex ſubſtantia Cantharidum nihil admiſceatur. Ex colato liquore cochlear unum ſeptem aliis ſeu vini ſeu cereviſiæ admiſceatur, & ex hoc mixto primo die unum, altero duo cochlearia, & ſic deinceps propinentur. In gonorrhæa virulenta, lotii ſuppreſſione & calculo, felicem hujus præparatæ potionis eventum expertus eſt D. *Jac. Fr. Kotzbue* Vir Medica eruditione & experientia inclytus, cui mecum hoc lector debet.

HIST. LXXXIII.

Creta gallis gallinaceis adverſa.

CUm admiratione vidimus gallum gallinaceum, etiam criſtas ſæpiſſimè erigentem, cretam reformidaſſe. Lineis tribus in menſa cretâ à capite ſignatis, gallus in menſa poſitus, etiam appoſito grano, movere ſe non audet, ſed timidus, anhelanti ſimilis capiteq; demiſſo & contractis pedibus deliteſcit, quaſi vinculo conſtrictus. An lineis à capite productis id adſcribendum, an odio cretæ, dicere non poſſum. Circulum unicornu circumductum aranea vene-

Digitized by Google

nenata non tranſilit, & ſerpens caſtoreo formatum circulum, naturali odio Caſtorei, averſatur. Non id figuræ, ſed alexipharmaco tribuunt. In Creta ſimile alexipharmacorum terriculamentum latet, quemadmodum in Terra Lemnia, ſeu ſigillata, quia & hæc Melitæ ad candorem vergit. *Conſtantinus* Cæſar l. 13. Geopon. c. 10. de formicis ex Paxamo narrat; non attingere acervum fructuum ſi eum circumſcripſeris creta: nec invadere vas melitæum, etiamſi operculo careat, ſi ejus ambitum alio vaſe candido coronaveris, aut circumſcripſeris alba terra. *P. Vegetii* l. 3. Veterin. c. 82. eſt ſecretum, ne mus araneus animal mordeat, ut ipſum animal vivum, ſeu mus, de creta circumdetur, quæ cum induraverit, ſuſpendatur in collum. Pro ſuperſtitioſis multa traducimus, antiquis notata, quorum tamen veritatem diligens obſervatio vindicat. *A. Kircherus* l. 2. Art. Magn. p. 1. c. 16. imaginationi id aſſignat, & in ligatis gallinis tantum expertus eſt.

HIST. LXXXIV.

Ægilopis curatio.

EX defluxione capitis ad canthum oculi ſiniſtri internum tumor enatus Catharinæ

Digitized by Google

rinæ juvenculæ filiæ honeſtiſſimorum Helſingoræ Parentum, quo primum preſſo, ſerum ex oculis fluxit, poſtea perforato, ut videbatur, ad nares usque oſſe, purulenta per nares beneque cocta materia effluxit, quæ ſua ſponte quoque ſubinde prodiit. Diſparuit idem tumor poſt puris evacuationem, donec novæ materiæ affluxus acceleraretur. Anxii parentes nihil non pro ſalute filiæ tentarunt, nosque ad curæ partes amicè vocarunt. Caput Cephalicis pilulis prius expurgavimus. Mox ad humiditatis depluentis exſiccationem collyrium inunximus. Omnia ſine ferro prius experturi, ne venuſta virgunculæ facies deformaretur, evacuato pure, ad partis compreſſionem Cataplaſma ex farin. ſilig. volat. Rad. Conſolid. Maj. Altheæ, Fl. chamomill. Summ. abſinth. ſem. fæniculi, lini, Bolo Armeno, impoſuimus, & emplaſtra adſtringentia, quibus tamen operam luſimus, quia difficulter parti læſæ adhærebant, & ſi quando forte magno labore diutius ſubſiſterent, circa oculos dolorem ruboremque excitarunt. Conſenſu demum Parentum, cauterium potentiale ea naſi parti applicavimus, qua nullum à muſculo oculi orbiculari periculum. Poſt eſcharæ caſum caro in fundo a-

deò luxuriavit, ut præcipitato aliquoties inhibere fuerimus coacti, ſæpiusque ea carne creſcente, cauſticis repetitis, curatio fuit retardata. Tandem exſiccantibus in auxilium advocatis, osq; mundantibus, ſed ſine ferro aut igne, ab *Ægineta* l. 6. c. 22. & *Celſo* l. 7. c. 7. præſcriptis, qvum per nares nihil puris vel ſeri prodiret, carne ſanâ oppletum fuiſſe oſſis carioſi foramen, animadvertimus, fiſtulamq; obturatam, unde vulnus conſolidatum cicatrice ſubtili inductâ, & juvencula per DEi gratiam ſana rediit, facie nullis maculis fædatâ.

HIST. LXXXV.

Furor Uterinus.

NObilis femina ſanguinea, nuper nupta, hilari ſemper animo & fronte, marito longâ ægritudine decumbente, furore uterino perculſa, incondito ſono inclamabat maritum, ſororem, aliosq; notos, & vix ſex hominibus robuſtis potuit contineri, quin in publicum furioſa prodiret. Deſinebat idem furor parvâ interpoſita morâ in lacrymas. Inducias longas denegabat fervens juvenculæ ſanguis, quem tamen

men apertâ venâ imminuere nequivimus, quod tamdiu quieta non poſſet contineri. Igitur ut quies malo neceſſaria provocaretur, ſine morâ dedimus redeunte paroxyſmo, variis artibus deceptæ, laudani Opiati grana duo in Amygdalato diſſoluta. Senſim vi medicamenti & clamandi finem fecit, & ſomnus procuratus, ſed brevis, unde imminente veſpera ejuſdem diei lecto ſurrexit, immemor omnium quæ acta fuerant.

HIST. LXXXVI.

Callus manuum eminens.

CAlli ſeu clavi in pedibus generationem à veſicis ex attritione ortis, & deinde exſiccatis eleganter deducit *Fallopius* de Tum. particul. c. 37. Quarum veſicularum numeroſiore ortu & frequentiore induratione, pars poſt partem induratur & excreſcit gravioribus operibus aſſuetis, etiam in vola manus digitisq;. Hippiatro noſtro adeò calli in dextræ manus digitis eminent, ut nucis juglandis exprimant magnitudinem, & tumoris ſpeciem inſolitam æmulentur.

HIST. LXXXVII.

Puella ex cane nata.

APud *Saxonem* noſtrum l. 10. Hiſt. Dan. narratur Urſus in agro Suetico virginem rapuiſſe & compreſſiſſe, quæ ex Urſo gravida filium enixa ſit, cui à parente Urſi nomen impoſitum. Dæmoni id adſcribit *Delrio* l. 2. diſq. Mag. quæſt. 14. Sed rectius *Stephanius* noſter Not. ad Saxon. non Urſum ſed Urſi ſeu Biornonis nomine inſidiatorem & raptorem fuiſſe. *Sabellicus* tamen l. 7. Enn. 9. ſub Martino IV illuſtrem feminam urſum peperiſſe refert, eo quod ſtatuas & picturas urſorum frequentius conſpexiſſet. Certè facilior à vero Urſo & animali alio raptus & impraegnatio ſequeretur, quam à Dæmone, ex carne ſpiritu & corporeis membris deſtituto. Rudior verò hic amplexus, pulchra præſertim renitente puella. Amare puellas & efferatam Urſorum rabiem ſpecioſarum mulierum imperio cedere, ab Incolis Norwegiæ accepi, ubi frequentes ſunt Urſi. Simias virginibus inſidiari, vulgò notum. Nec id mirum, ſi quidem humanam ſpeciem præ ſe ferunt, & non paucis ſunt in deliciis. Pro vero mihi

nar-

narratum fuit in Aula ducis Montmoranci in Gallia ex cane filiam natam cuidam feminæ, (quæ cum cane Melitenſi in lecto luſitare conſueverat,) eleganti forma & matri ſimiliorem quam Patri, nam nihil caninum præ ſe ferebat, niſi quod in lecto ſe volutaverit. Mater cum cane rogo adjudicati. Filia verò Viro nupſit, qui cum inter domeſtica litigia canem ipſi patrem exprobraſſet, ad mortem compulit. Cane patre natum Attilam ſcribit in Cantilenis *Roccus Arminenſis*, de quo plura notavi in Obſ. de *Unicornu* c. 2. Romæ ſub Alexandro Pontifice mulier ex canis concubitu ſemicanem enixa eſt, apud *Jo. Langium* l. 2. Epiſt. Med. 9. Fidem meam ſuperat quod ſcribit *Mandeſlous* in Itin. Ind. feminas Macaſſeranas cum pueris parere quoq; crocodilos.

HIST. LXXXVIII.

Mares in utero dextro non ſemper geſtari.

UT plurimum veræ ſunt ſententiæ *Hippocratis* in Aphoriſmis, non ſemper, ipſo fatente *Galeno* in 6. Aph. 58. Quo ſenſu accipiendus quoq; Aphoriſmus 48. ſect.

 5. ma-

5. mares dextra uteri parte, fœminas ſiniſtra geſtari, quod ipſe indicat voce μᾶλλον. Coo aſſentitur *Galenus* in Commento & alibi apud *Stobæum* ſerm. 99. Dextræ partis calori cum *Galeno* id defert *Theophilus* l. 5. de Fabr. Hum. corp. quo ipſe *Hippocrates* reſpexit l. 2. Epidem. ſect. 6. n. 21. Alteram rationem à muliebri ſemine repetit *Galenus*, ſed rectius ipſe *Hippocrates* l. 6. Epid. ſ. 4. n. 24. ab Hirci teſticulo dextro, qui alibi de *Nat. Pueri* verius cauſam affert ex genitura craſſiori validioriq; quæ ſinum quencunq; uteri ſubierit, in eo marem procreat. Prior ſententia occaſionem aliis dedit, ut crederent pro ſigno maris concepti perpetuò eſſe motum in dextris. Cujus ſigni fallaciam, in Uxore mea ſuaviſſima Eliſa Chriſtophoriana hactenus, ut alias prætercam, deprehendi. Uterum ſecundo geſtabat 1651, & in dextro plerumq; tumorem, motumq; embryonis ſentiebat, ſtupebatq; crus dextrum, enixa tamen eſt filiam Margaretham, natu ſecundam. Qvum reliquos filiolos Caſparum, Chriſtophorum & Thomam, & tertiam filiolam Annam Margaretham ſubſequentibus annis ordine ſuo geſtaret, & in dextris & ſiniſtris tumor motusq; ſe prodidit, ſed mamma dextra lacte

prima

prima turgebat. Exemplis aliis enarrandis ſuperſedeo, unius *Braſavoli* in Aph. conſenſu contentus. Teſtatur ille, uxorem ſuam feminas in dextra, maſculos in ſiniſtro geſtaſſe, & qvum aliquando ſimul maſculum & feminam peperiſſet, apparuiſſe emiſſa prius femina hypochondrium dextrum inanitum, tumidum verò adhuc ſiniſtrum, in quo reſidebat mas.

HIST. LXXXIX.

Aſperæ Arteriæ vulnus.

PUella in oppido Sora vicino pluſculis abhinc annis melancholica cultro ſibi jugulum reſecavit, membranula prope œſophagum adhuc integra. Fortunæ imputabatur, quod intermedium ligamentum carneum, illæſis annulis cartilagineis, fuerit vulneratum. E veſtigio igitur advocatus, qui in vicinia erat, Chirurgus olim Regius Salomon Gutfeldt, conſuit ſubtili filo diſſectam fiſtulam ſpiritalem, & divulſæ cutis labia fibulis adſtrinxit, inclinatoq; ad pectus mento conſolidationem moliebatur. Poſtridie inquieta puella fibulas diſrupit, unde emplaſtro adſtrictorio vulnus coarctatum,

tum,

tum,caputq; arctius pectori alligatum, vinculo per inferiora implicato, ut ſine alio labore brevi convaluerit. ſimile vulnus arteriæ curauit *Tulpius* l. 1. Obſ. c. 50. In angina aliisq; ſuffocationibus aperiri arteriam aſperam, iterumq; claudi, quanquam *Aretæus* l. 1. de curat. acut. c. 7. & *Aurelianus* l. 2. acut. c. 4. damnent, tamen poſterioribus innotuit. Sine periculo fieri probat *Fonſeca* Conſult. 22. tom. 1. *Sanctorius* comm. in 1. Fen. d. 3. c. 3. t. 9. etiam infantibus. *Ranchinus* Sect. 3. in Guid. Apoſt. Quæſt. chir. 11. Nunquam hanc Chirurgiam adminiſtravit *Aquapendens*, ut in Chir. operationibus fatetur. Sed bis feliciter Pariſiis in uſum revocavit *Renatus Moræus* Regius Doctor magnæ famæ & eruditionis, ſicut teſtatur in Epiſt. ad me ſcripta de Laryngotomia. Cautiones annotant *Ægineta* l. 6. c. 33. *Aquapendens* l. d. Et operationis modum fuſius exponunt. Quibus nuperè acceſſerunt *Nic. Fontanus* Not. ad Seb. Auſtrium de Morb. Puer. *Joh. Scultetus* Armam. Chirurg. Tab. 34. *Fridericus Monavius* l. de Bronchotome c. 8. & 12.

HIST.

HIST. XC.

Lotium nigrum eſu uvarum.

ILluſtris Comes Germanus in Gallia vindemiarum tempore maturis uvis juſto liberalius indulgens incidit in inſignem lipothymiam, cum lotio nigro, ut etiam vox penè interciperetur, cum inſigni quoq; totius æſtu. Quia mors in procinctu videbatur, nec aliud ad manus eſſet, pulverem Bezoarticum exhibuit comes itineris Medicinæ orgiis initiatus, unde ſudore provocato, mox ad vires ſanitatemq; rediit, quod ipſe nuper mihi ſignificavit. Malignitatem & ſymptomatum vehementia indicat, & curatio. Forſan venenatæ araneæ uvas infecerant, vel ſuccus uvarum diureticus in Viro ſplenetico nigram urinam provocavit, quam ab aſſumptis ita excerni probat *Actuarius* l. 1. de jud. Urin. c. 20. Neq; ſemper ſiniſtri eſſe ominis demonſtrant contra *Galeni* judicium *Zacutus* lib. 2. Med. Princip. Hiſt. 132. *Rhodius* noſter Cent. 3. Obſ. Medicinal. 31. *Steph. Rod. Caſtrenſis* Excercit. Med. de Urin. nigra, & Expoſ. in ægr. 3. & ante hos ipſe *Hippocrates* in hiſtoria Herophontis l. 1. Epid. ſect. 3. ægrot. 3. & Nicodemi l. 3. Epid. ſ. 3. ægr. 10.

HIST.

Digitized by Google

HIST. XCI.

Calculus in Apoſtemate.

NObiliſſimæ in Dania mulieri fluxus in ſiniſtra maxilla ſuperiore valdè doloroſum apoſthema excitavit, quo maturo tandem & rupto, calculus nucem minorem æquans prodiit, quem adhuc in rei memoriam ſervat, moxq; ſedatis doloribus ulcus fuit percuratum. *Arculanus* in Com. ad Avic. cum M. Benedicto vidit Veronæ in Apoſtemate inguinis mulieris cujusdam lapides tres ad quantitatem caſtaneæ. *Fallopius* quoq; lapidem in apoſtemate invenit, *Kentmannus*, *Paræus* aliiq; quos ad teſtimonium citat *Jo. Georg. Schenckius* l. de Lithogeneſia c. 4. & 17. Ex atheromate lapidem Neapoli exemit *M. A. Severinus*, quem ibidem vidi. In tumore humeri *Borellus* Cent. 1. Obſ. 87. & baſi maxillæ Cent. 2. Obſ. 17. eosdem reperit.

HIST. XCII.

Suturarum in cranio laxitas.

MObiles ſunt ſuturæ in infantibus, & iis qui Hydrocephale tumidum caput gerunt. In adultioribus ferè cum cranii oſſi-

oſſibus immobiles ſuturæ caput diſtingvunt, niſi in craniis longâ ſub terra morâ exſiccatis. *Galenus* l. 13. Meth. Med. c. 22. teſtatur, vidiſſe ſe in iis quibus raſum caput fuerat, inter mandendum, commiſſionis oſſium in coronali ſutura manifeſtum motum, ſic ut facilè apparuerit, hominibus illis laxam fuiſſe oſſium capitis compoſitionem. Ex contuſione quoque mobilia oſſa obſervavi. In Cephalalgia ſæpius loco moventur. *Joubertus* c. 9. de Aff. cap. ſeparationem ſuturarum ſemel vidit in fronte puellæ, cui unius lateris os alterius ſuperabat latitudinem, poſt diutinam in infantia cephalalgiam. Quod in vidua defuncti Claudii Mechelburg 1622 quoque animadvertit C. *Bartholinus*, Parens noſter, & in Theodoro Hildenſi *Fabricius Hildanus* Cent. 2. Obſ. Chir. 7. In Hibernia frequenter ſuturæ in adultis, modò coronalis, modo ſagittalis, diſſolvuntur, ſequiturque dolor capitis ob ſolutionem meningis, quod me monuit cl. Vir *D. Bootius*, curam quoque facilem illis eſſe, utraque enim manu appoſita in ſitum reduci, caputque deinde faſciâ arctè ligari. De modis, quibus juncturarum diſtantiæ in oſſibus capitis firmentur, legendus eſt *Hippocrates* l. de Offic. Med. fin.

HIST.

HIST. XCIII.

Sudor ſtatuarum.

STatuæ apud antiquos ſudaſſe leguntur. Rationem reddit *Theophraſtus* l. 5. Hiſt. Plant. c. 10. quia ex cedro conficiebantur, cujus materies nata eſt humorem emittere. Nihil frequentius in Italia imaginibus Sanctorum vel ſudantibus vel lacrymantibus. Quid cauſæ illis ſubſit, meum non eſt inquirere. Sangvine ſudare rarius auditum. Fridericiburgi defuncto Auguſtiſſimo Rege Danorum Divo *Chriſtiano* IV, in ædibus Johannis Petræi effigies Friderici I. Regis Daniæ parieti affixa ſangvineas guttulas in auribus & naſo monſtrabat. Res miraculi loco viſa & multis ſuperſtitioſis portentoſa. Vidi ipſemet cum plurimis Viris generoſis & ſpectatis. Guttulæ ſub pinna narium propendebant & lobo aurium, quæ primo rubicundæ, tractu aliquot dierum pallebant, donec evaneſcerent. Diligenter inquirebam an in ſuperiori ædium contignatione aliquid eſſet ſuſpenſum, ex quo ſimilis liquor poſſet deſtillare, vel an pictor aliquis in muſæo pernoctaſſet, vel num ancilla hoſpitium expurgatura ſcopis aliquid aſperſiſſet. Singula ſtrenue pernegabat hoſpes,

ſpes, ſed religioſum Paſtorem poſtremum ibi divertiſſe, qui ſummo mane oſtentum primus obſervaverat. De muſcilionibus & culicibus ſangviſugis, qui non rarò maculis ſangvineis veſtes inficiunt, nulla hic ſuſpicio, partim quod rariores hoc loco ſint, partim quod nuſquam alibi ſui veſtigia reliquerint. Qvum eodem hoſpitio Regiis impenſis Magnus *Salmaſius*, Daniam cum familia tranſiens exciperetur, oſtentum narravi, qui dubius nec approbare facilè, nec damnare viſa poterat. Mihi quoque ad credendum portenta obſtinatus eſſe ſolet animus, hiſce tamen oculis viſa negare non poſſum, quæcunque tandem ſubſit cauſa occultior. Exciderant hæc memoriæ, niſi temporum mutationes revocaſſent.

HIST. XCIV.

Vomitus Lacerti.

IUvenecula puella Ruſtici trium annorum ſpacio lacertos in ventre aluit, non ſine torminibus ingentibus. Tandem unicum lacertum evomuit, ex quo in morbi ſui cognitionem devenit, & in conſilium adhibito *Tancredo Lælio*, felici olim urbis noſtræ Medi-

Medico, decoctis amariuſculis & potionibus contra reliquorum vim pugnavit, quod ex ſchedis Viri laudati apud Epiſcopum Arhuſienſium Vigilantiſſimum M. *Johannem Brochmannum*, excerpſi. Miles quidam Baſileæ poſt crebra ventris tormina, adhibitis purgantibus, oſſa lacertorum ſimilia excrevit cum pelle & filorum compage, ibidem à me viſa apud D. *Felicem Platerum* Juniorem, Publicum Naturalis ſcientiæ Profeſſorem. Plura de his alibi diximus.

HIST. XCV.

Ovum duplici cortice.

Dubitatum diu fuit, an ovi cortex ab aëre indureſceret, ſicut *Ariſtoteli* & *Plinio* viſum. *Aquapendens* poſtea in illorum ſententiam ivit, quanquam fateatur ſe ovum duro cortice obductum in gallina reperiſſe, idemque mulieres quotidiè experiri, dum extra abdomen digitis ovi duritiem pertentant, ut cognoſcant an gallina mox ſit editura ovum. *Marſilius Cagnatus* l. 1. Var. Obſer. c. 9. contra Ariſtotelem Pliniumq; ſtrenue pugnat, quia intra alvum ipſarum avium

avium quæ mox parituræ ſunt, duro putamine reperiuntur, & gallinarii tangendo diſcernunt mollesne ſint an jam obduruerint cortices. Fregit præterea in cujuſdam ventre ovum, eaque diſſecta apparuerunt putaminis fragmenta omnino illis ſimilia, quæ naturaliter emergunt. Certè *Harvejus* felix naturæ ſecretarius de Gen. Animal. Exerc, 11. compertum habet, ovum in utero ferè ſemper duro cortice obduci, unde fidenter aſſerit, intus in utero ex materia oblata non aliter quam reliquæ ovi partes à formatrice ejus facultate plaſmari. Confirmat ex eo ſententiam, quod viderit ovum perexiguum centeninum cruſta tectum intra aliud gallinæ ovum majus perfectum & cortice circumcirca obductum, contineri, quod Sereniſſimo Regi Carolo præbuit. Simile ovum, non centeninum, ſed oblongius grandiusque intra duos cortices, invicem diſcretos, durosque clauſum nuper vidi inter rariora Clementiſſimi noſtri Dn. *Friderici Tertii*, Patris Patriæ. Obſervavit idem *Albertus* Magnus, & *Sigiſmundus Schnitzerus*, ſicut teſtatur *Leonhard. Doldius*. Epiſt. 256. in Ciſt. Med. *Hornungi*, ubi dubitat an ovum integrum cum cortice alteri innatum fuerit & non adhæſu quodam connatum.

Digitized by Google

In ovo Regis Auguſtiſſimi exterior cortex prorſus liber eſt ab interiori, nullaque parte adhærens. *Mart. Scoockius* Diſſ. de Ovo & Pull. §. 63. ut Ariſtotelem defendat, album ovi circumfuſum priori teſtæ vice aëris fuiſſe dicit. Sed album ovi, intra gallinam, frigidum dicere non poteſt. Et cur non alias ovi partes indurat? Addo, ſi cortex ab externo aëre frigido concreſceret, à calore rurſus emolliretur, quod nunquam obſervamus. Eadem durities cocto crudoque, recenti & veteri ineſt. Rem pro cortice conficit ovum aliud in Muſæo laudato nunquam ſatis laudandi Regis noſtri, quod in utero gallinæ lapideam duritiem in Norwegia contraxit, ex fide digniſſimorum teſtium.

HIST. XCVI.

Pulmo innoxiè vulneratus.

MOnſpelii qvum naturæ gratia ſubſiſterem, Nobilem novi militiæ deditum, cui thorax transverſo vulnere gladii perfoſſus erat, læſis pulmonibus, quod ex ſymptomatibus ſuſpicati ſumus, curatus ille tamen

tamen fuit feliciter. Alius miles ibidem in Caſtello, ſub ſiniſtra mamma penetrante vulnere in Cavitatem pertuſus, tam altè reſpirabat, ut admota candela exſtingveretur; ſectâ tamen brachii ſiniſtri venâ rediit tandem cum liberâ reſpiratione ſanitas. Plura ejus notæ exempla in patria quoque memini. Nempe vulnerati pulmones curari poſſunt, niſi majora vaſa lædantur. Subinde tamen debilitato viſcere facilius deinde morbi hac parte excipiuntur. Horum vulnerum curationem pertexunt *Foreſtus* l. 6. Obſ. Chir. 4. *Hildanus* Cent. 2. Obſ. Chir. 32. *Tulpius* l. 2. Obſ. c. 17. *N. Fontanus* l. 1. Reſp. & Cur. Medicin. p. 11.

HIST. XCVII.

Ad ſangvinis fluxum ſingularia.

AD Dyſenteriam & quemcunq; ſangvinis fluxum certa experientiâ ſe nobis commendavit talus porcinus calcinatus. Certis verbis ſine ſuperſtitione prolatis hæmorrhagiam narium vidi compreſſam, quæ nolo ſignare, ne his favere videar, aut precium ſtatuere. A qua tamen curatione Me-

adjutum. Ita ſemina herbarum non in terra tantum, ſed etiam in tabulato, parietibus arboribusq; ſubinde decidua germinant, ſed felicius ad florem perveniunt in terræ gremio. Par in animalibus ratio, quibus uterus commodus fuit quia commodius & recipit ſemen & exinde formatum fœtum felicius continet & excludit. In quacunq; tamen cavitate corporis, ubi vaſorum confluxus, embryo efformatur. De Humano fœtu autor eſt *Salmuth* Cent. 3. Obſ. 94. ex nefando congreſſu conceptum, per os fuiſſe editum, ſed digiti tantum longitudine, quia diuturnioris moræ impatiens eſt ventriculus ob continuum motum & aſſumptorum impedimenta, quæ non æquè ſinunt claudi, ſicut uterus à conceptu clauditur. De hiſtoriæ nefandæ veritate dubitare non auſim, quia teſtatur *Salmuth* ſe ex literis Joannis Komeleri, in Conſulis illius civitatis, ubi hæc acta, ædibus tum degentis, ut oculati & fide digni teſtis, ad Gothofredum Hoffmannum affinem & compatrem ſuum datis, hæc deſcripſiſſe. Multa quotidie eveniunt, quæ damnare quidem poſſumus, ſed credere debe-

ſorum obſervavit, qui ſanctè rem actam & juramento obſignare parati ſunt. Quam quidem ego illis neceſſitatem non imponam. Credat enim iſta qui volet. Quod ſi tardior aliis ſit futura ad credendum mens, parum intererit. Liberæ hic ſunt voluntates, nec tyrannidem obſervationum exercemus. Neque tamen ideò exſibilandi, qui viſa referunt vel audita, & ex relatis, ſi à fide dignis proficiſcantur, liberè & curioſè de cauſa rariorum ſolliciti ſunt. Igitur eadem hic ratio quærenda, quam in ſutoris uxore imperita affert *Salmuthus*, ut ventriculus uteri vices ſuppleat, membranas generet, alimentum per vaſa ſanguinea vel proximum chylum ſuggerat, & tamdiu foveat calore ſuo & hoſpitio, donec quacunq; accedente vi & neceſſario conatu expellat.

HIST. XCIX.

Venæ conſolidatæ ſignum.

POſt phlebotomiam vena cutisque obducta modo tardius, modo citius conſoli

morumq; motu, quemadmodum non paucos vidi poſt amplexus venereos perpetuo ſternutaſſe. Sternutamentum olim pro augurio habebatur, teſte *Ariſtotele* l. 1. Hiſt. Animal. c. 9. quod ſolus flatus haberetur ſacer. Imò crepitus ventris auſpicium faciebat, ſi credimus *Catoni.* Vide *Scaligeram* l. 1. Lection. Auſon. c. 25.

HIST. C.

Cancri in mammis exulcerati exciſio.

GEneroſa Matrona Eliſabetha Lunge, annorum circiter 46. temperamento melancholico, quod poſt obitum Illuſtris mariti Palæmonis Roſæcrantzij, incrementum ceperat, anno 1656 in mamma dextra tumorem advertit prope papillam, exilem primo, deinde indies grandeſcentem cum ſignis affuturi cancri, quia ſubſtiterant menſes. Advocatis mecum in conſilium D. *Paulo Moth* & D. *Henrico Fuiren*, quia aver-

verſa-

verſabatur manum Chirurgi, omni ope tumoris incrementum inhibuimus. Melancholicum ſuccum uino medicato & pilulis ſucceſſivè deglutiendis educere tentavimus, inprimis ſubſiſtentes menſes revocavimus, qui prompti fluxerunt exhibitis pilulis ex hiera ſimplici, cum extractis Agarici, Caſtorei, Ariſtolochiæ longæ, ſabinæ, Myrrha rubra, oleo deſtillato ſuccini, & cinamomi, quarum ſalutarem effectum ſæpe ſumus experti. Quotiens verò ex voto menſium fluxus ſucceſſit, totiens imminutum obſervavit tumorem, ut prorſus ſubinde abſentem ſperaverit. Abiit hoc conſilio inſtructa ad nobile in Lalandia prædium, ubi ſecundum præſcriptam methodum valetudini ſuæ excubavit. Anno proximè inſequenti, aucto ex obitu filiæ mœrore, & publica patriæ bonorumq; calamitate, in deterius vergere ſanitas tumorq; cœpit, & quanquam Medici ibi præſentis operâ uteretur, in hibere tamen non potuit, qvin cancer exulceraretur, miriq; cruciatus, ut ſolet, excitarentur. Tædio igitur miſeræ vitæ & metu pejorum Hafniam æſtate 1658 repetiit, noſq; denuò pro ſalute conſuluit. Nulla niſi

inſe-

in ſectione ſpes ſupererat, quia univerſam mammam carcinoma occuparat, & exulcerato cancro quotidiana lentaq; mors imminebat. Accuratè carcinoma contrectantes, vidimus ſine magno periculo ſectionem fieri poſſe, quiá mobile erat nec profundum adeò ut coſtis adhæreret, niſi una parte prope ſternum, cæterum cum mamma exſcindi poſſe totum. Qua ſpe animata, quia mori malebat ſub manibus operantium, quam quotidiana vitæ ſupplicia trahere, noſtræ Chirurgiq; curæ ſe ſubmiſſura, animo intrepido & ad mortalitatem compoſito, operationem urſit. Dum cuncta à *D. Mothio* & me cum Philippo Hacquard Chirurgo Regio dexterrimo ad rem neceſſaria præparantur, ipſa per Preſbyterum cum DEO in gratiam rediit. Convenimus die 16 Junij, præparatisq; adſtringentibus varij generis, igne quoq; in ſecreto cubiculo parato, ægram in aperto lecto culcitris linteisq; involutam, bono animo eſſe juſſimus, præmiſſisq; cum Preſbytero ad DEum precibus, opus aggredimur. Chirurgus ſiniſtra manu univerſum carcinoma apprehendit, dextrâ cultrum latum & acutum celerrimè circumducit,

ducit, à ſterno exorſus, ubi tumoris pars adhæſit, & ad latus profundius adacto, brevi tribus inciſuris integram mammam cum carcinomate exemit. Ut conſpectior eſſet tumor, brachium ægræ dextrum ſurſum ab aſtantibus elevabatur, ut à pectorali muſculo ſepararetur, nec brachij motus vitiaretur. Sunt qui huiuſmodi carcinomata vinculo prius conſtringunt, perforatisq; filis per acum apprehendunt, quem operationis modum *Hildanus* in Centuriis ſequitur, & *Scultetus* Armam. Chirurg. Tab. 38, depingit: Sed dolores acceríunt, ægrosq; excruciant. Alij marſupio includunt, antequam reſecent. *Aquapendens*, in Operat. Chirurg. qui nunquam tale molitus eſt, tamen ſi cancer ſit mobilis forcipe apprehendi jubet.

Aliis in uſu eſt inſtrumentum percommodum, quo torcularis inſtar comprehendunt includuntque tumorem, promptiusq; elevatum reſcindunt; ſed quia carcinoma hoc grandius vaſtiusque fuit, neglеximus. Pertulit conſtanti ſed ſuſpiriis pleno animo operationem ægra. Sangvinem ubertim ex mammariis vaſis fluentem, interpoſitâ morâ ſtitimus, ut ex parte affecta cruor lutulentus

lentus & melancholicus prorſus exprimeretur, conſilio *Galeni* l. 14. Meth. Med. Tum vulnus amplum illis impoſitis curatum fuit, quæ ſangvinem ſiſtunt, arctisq; ligaturis repreſſus cruor, ut ad ignem confugere opus non fuerit. Ne materia ad partem nova deflueret, ſuperiori brachio defenſivum circumdatum. Deinde digeſtivis uſi ſumus, quibus pedetentim vulnus ſpacio ſex hebdomadum ferè clauſum, cutisque inducta. Supererat glandulæ veſtigium in ſterno, ubi radices egerat carcinoma, quod augmentum minabatur. Cauteriis potentialibus inutilia reſecta, vulnusque mundatum, ſed penitus illud ulcuſculum claudi non potuit, quia ob conſuetum naturæ affluxum dolores metuebantur, unde maluit ipſa ægra hoc loco pro fontanella in poſterum uti: Ita feliciter DEO benedicente Nobiliſſima Matrona carcinomate liberata, piis in templo precibus ante deceſſum meum vota Numini exſolvit. Cæterum hyeme moleſta inſequente, obſeſſa urbe, cum carbonibus foſſilibus inſvetis fornax caleret, catarrho oborto ſuffocatam audio.

Eadem hac æſtate eandem operationis aleam ſubiere alii felici ſucceſſu. In ſiniſtra papilla Conſultiſſimi Viri D. *Henrici Ernſtii* Juris in Academia Regia Sorana Anteceſſoris, Amici noſtri magni, excreverat occultus tumor, qui cancrum minabatur, jamq; ad nucis juglandis magnitudinem extra pectus proceſſerat. Maſculo animo & imperterrito ejuſdem Chirurgi cultro ſe ſubjecit, priſtinæque ſanitati, ſanitate digniſſimus, eſt reſtitutus.

Netrix in vico balneatorum miſerrima erat, multorumque miſericordiam excitavit. Nullas dolorum inducias largiebatur exulcerata profundius cancro mamma dextra, tumore ad brachium ferè pertingente. Cuncta proſperè ſub Chirurgi laudati manu ceſſerunt. Vulnere tamen percurato, ſæpe de doloribus circa hanc partem conquerebatur. Circa finem curationis qvum vix pateret vulnus, inſtantibus menſibus hac via effluxit ſangvis, donec exhibitis remediis conſuetum curſum repeteret. Obiit tandem & hæc netrix, non ex vulnere, cujus felix ſucceſſerat eventus, ſed oſſium abſceſſibus.

Utri-

Utriusque exciſam mammam cancroſam accuratius libuit ſcrutari. Primæ tumor univerſam fere mammam infecerat, muſculos tamen pectorales non pertranſiit, unde glanduloſum corpus ſolum fuit reſectum, cui magna pingvedinis, undique diſperſæ, portio adhærebat. Radix unica erat in ſterno glanduloſa, oſſi pectoris impacta, ex qua tumor univerſus, velut pedunculo, dependebat. Nullæ venæ apparebant, ſed omnia erant infarcta duriuſcula materia, velut in aliis tumoribus adenoſis. Exulceratio non admodum profunda, ex putredine orta, quæ totum pectus invaſiſſet, niſi culter interceſſiſſet. Alterius nutricis mamma nihil ab hac differebat, ſi tumoris materiam conſideres, profundius tamen invaſerat, unde muſculi pectoralis particula una exſecta. Radices quinque notabantur glanduloſæ, diverſo à reliquo tumore colore. Ita feliciter & ex voto noſtro ter una æſtate cancer reſectus fuit, quem adeò formidant plerique, ut mortem miſeram lentamque eligere ament, quam uno Chirurgi periti ictu ſe ſubjicere. Infortunata exempla plurimos terrent, quæ vel Chirurgorum timiditati adſcribenda, vel ſupervenientibus ſymptoma-

ptomatis. Sed extrà periculum ſunt, ſi cætera rectè ſe habeant. Et ſi ſymptomata fortuitò ſupervenientia remoram benè cogitatis injicere debeant, jam ſanè ab ulceribꝰ omnibus manum abſtinebimus. Diligenter verò diſtinguenda ſunt illa quæ neceſſariò operationibus hujusmodi ſuperveniunt, ab illis quæ ex accidenti incidunt. Verbo dicam: Ubi cætera conclamata ſunt, præſtat dubiam experiri fortunam, quam ſine ſpe deſperare.

TH. BAR-

Digitized by Google

THOMÆ BARTHOLINI

Hiſtoriarum Anatomicarum & Medicarum Rariorum

CENTURIA VI.

HISTORIA I.

Gloſſopetrarum Melitenſium Uſus Medicus.

Quum ad Inſulam Melitam A. C. 1644. ex Sicilia me curioſitas ferret, perq; menſem detineret, quod præcipuum erat diligenter conquiſivi gloſſopetras mecumq; aſportavi, mineræ ſuæ ſeu glebæ ſaxeæ incluſas, & exinde liberatas, omnium generum, magnorum parvorumq;, ſerratorum & lævium, candidorum & nigrorum, de quibus ibidem Diſſertationem conſcripſi, & ſingula

accuratius examinavi quæ ad elegantiſſimum hoc Naturæ artificium ſpectant. In præſenti igitur labore iſto ſuperſedebo, nec in ſententiarum diverſitate occupabor, an ſerpentum ſint linguæ, ut credunt incolæ, in lapideam duritiem converſæ vi Apoſtolicæ maledictionis; an ab ipſa formatrice Natura in ſaxeo ſolo productæ ſint ex lapidea concretione, quemadmodum ſua ſponte lapides alij in terra producuntur, quò *Geſnerus* inclinat & *Boethius*; an ad telorum fulmineorum claſſem ſint referendæ cum *Plinio*; an verò ſint piſcium, præſertim Lamiarum, dentes, quorum ſimilitudinem exactè referunt, qui in continenti remanſerunt poſt diluvia univerſalia vel particularia, quod credunt *Cæſalpinus* l. 1. de Metall. c. 44. *Poterius* in Pharm. ſpagyr. *Academicus Ardens Ethereus* in Theſaur. gemm. c. 36. & variis argumentis demonſtrat F*abius Columna* in App. l. de Purpur: an deniq; cum Magno noſtro *Wormio* ſect. 1. Muſ. c. 10. ſit ſtatuendum, duum eſſe generum, unum quod ex Lamiâ dentibus petrificatis ortum trahit, alterum quod figurâ & colore aliquantulum diſcrepat & in mediterraneis reperitur, quod majus eſt, & lapis ſui generis à Naturâ hac figurâ dotatus. De

his

his ſententiam tuli in dicta Diſſertatione Melitenſi. *Joh. Fr. Habela* l. 1. de Malt. Deſcript. c. 12. creſcere in ſaxo ſcribit, in quo initio generantur parvæ, deinde temporis tractu augeri velut in ſeminario. De uſu Medico, reliquis omiſſis, pauca ſubtexam, quia publicæ utilitati hanc operam dicavi.

Plinius l. 37. c. 10 lenocinanti neceſſariam gloſſopetram ſcripſit, & irridet, cum ventos ea comprimi narretur. Contrarius *Solinus* c. 37. magos ex ea lunareis motus excitare prodidit, quod ab ingenio ejus & fingendi libidine prodiiſſe *Cl. Salmaſius* in Exerc. Plinianis affirmat, quanquam Solinum ſeqvutus ſit *Camillus Leonardus* l. 2. de lapid. Si fides veteri Mſto *Dalechampij*, apud Plinium non *ventos*, ſed *ventrem* comprimit. ſimili *ſupprimendi* phraſi etiam utitur *Scribonius* Compoſ. 192. & rei veritatem aliæ terræ ſigillatæ oſſaq; ſicciora comprobant. Singulare venenorum eſſe alexipharmacum, communi famâ Melitæ eſt pervulgatum, omnibusq; morbis malignitate aliqua ſuſpectis adverſari, qvod à nativa Inſulæ gleba traxit, quam Divo Paulo hic hoſpitanti referunt acceptam. Narrant enim ſanctum Apoſtolum in hanc inſulam nau-

fragio expulſum, non ſolum omne venenum viperis ademiſſe, ſed univerſæ terræ vim alexipharmacam impreſſiſſe, illi præſertim, quam ſuo contubernio conſecraverat. Specus eſt D. Pauli, vulgo grotta D. S. Paulo dicta, quæ à civitate nova munitiſſima la Valetta, octo leucis Italicis diſtat, in qua pernoctabat Paulus qvum per tres integros menſes Melitæ Evangelium tanta animi vocisq; claritate annunciaret, ut à vicinis inſulis, præſertim Gaulo, vulgo la Gozze, exaudiretur. In rei memoriam ſacri ritus in hoc ſpecu adhuc celebrantur. Inviſi ſpecum, vidiq; terram alexipharmacam ſubflavam, quæ nunquam hactenus imminuta cernitur, quanquam quotidie exinde in uſus mortalium eruantur particulæ. Ipſe quoq; cum comitibus copiam ejuſdem terræ ex ſpecu mecum aſportavi. Hanc terram, tantarum contra venena morbosq; malignos virium, in varias formas aptant coqvuntq; incolæ, vaſa inde conficiunt candicantia, imagines, tabellas, nummos, quæ aliis terris ſigillatis nulla parte cedunt. Singulorum in muſæo meo exempla extant. Syracuſis mihi narravit quidam à ſerpente læſus, applicato hujus terræ ſabulo, quod forte in vicino navigio erat,

erat, ſe perſanatum. Ipſi Melitenſes de viribus terræ & gloſſopetrarum publica ſchedula, ibidem A.C. 1643. impreſſa, quam mecum attuli, teſtantur, omni veneno reſiſtere, à morſibus venenatis non tantum defendere, ſed & demorſos curare, aliisq; morbis mederi, hac ratione, ut linguæ collo aut brachio appendantur, parum dictæ terræ vino aut aquæ miſtum bibatur, vel liquor ſolus poſt linguarum infuſionem: Vaſis ex hac terra confectis ſi vinum vel aqua infundatur, atq; ubi vim illorũ abſumpſerint, bibantur, multos morbos curare. Vice terræ ſigillatæ plurimis exhibui inſigni cum fructu, quibus malignitas per ſudorem debebat eliminari. Ethereus ille Academicus Ardens virtutem gloſſopetrarum ſimilem proclamat bolo & ebori calcinato, quia imbiberunt virtutem prædictorum bolorum inſulæ Melitenſis, vel quod data hæc illis ſit vis occulta, ut ebori, cornu &c. Unde commendat in febribus malignis, variolis, lumbricis infantum, magis quam lapidem Bezoar, quod experientia ſibi affirmat compertum. *Michael Heberer* de Bretten lib 3. Ægypt. ſervit. c. 16. vidit gloſſopetras Magnatum ſcyphis inditas & inſertas, ut à potu venenorum eſſent

immunes. Præſente veneno in menſa ſudare dicuntur, & madore veneficium prodere, quod negat à ſe unquam deprehenſum *Boëthius* l. 2. de Lapid. c. 168. At *Geſnerus* de fig. Lapid. c. 14. & poſt eum *Calceolarius* in Muſæo Veron: lævitati potius quam alicui ſpecificæ qualitati id attribuit, cum non deſint quam plurimi alij lapides, qui & læves & præduri facillime ad vaporem ſudent. Auro & argento incluſas vidi pro faſcino arcendo & loco amuleti appenſas. Vidi Melitæ gloſſopetram apud *Jo. Fr. Habelam*, Ordinis Hieroſolymitani Vice-Cancellarium, ex terra erutam antiquam, cui plumbeus circulus annexus indicium præbebat vel auribus olim vel collo appenſam. Puerorum collo ſuſpenſas gloſſopetras dentitionem juvare prodidit *Rondeletius* l. 32. c. 10. & puerorum pavores arcere, confici præterea dentifricia, quæ etiam ignita duritiem ſervant, & pulvis aſperitate dentes dealbat. Gloſſopetram in manu parturientis retentam donec incaleſcat partum juvare ab amico accepi. Memini in Belgio gloſſopetrâ leviter inflicta vulnuſcula in Epilepticis paroxyſmis, ſingulari appropriato remedio, pueris profuiſſe. Gloſſopetræ in pulverem redactæ & in aqua exhi-

Digitized by Google

exhibitæ febris malignæ remedium Melitæ perhibentur, apoſtematibusq; utiles cenſentur. Panormi pulvis ille confectiones cordiales ingreditur, & teſtatur laudatus *Abela*, medicos Siculos hoc pulvere uti loco Bezoar. De gloſſopetris Burdigalenſibus ita ad Cl. *Jo. de Laet* perſcripſit amicus: Si quis incommodum aliquod patiatur in ore ortum ab aliquo cibo impuro, aut aſperitate vel acrimonia humorum influentium, indendo horum lapidum unum aquæ fontanæ, excitabit ille ſtatim bullas in aqua: ubi autem iſtæ reſederunt, aqua illa gargariſanda eſt, & os bis terve colluendum, atq; ita inflammatio ſedabitur & puſtulæ ſiccabuntur & incommodum tolletur viginti quatuor horarum ſpacio &c. Ego experimenti veritatem confirmo, quia omni terræ medicatæ, armenæ, lemniæ, melitenſi, ſicut aliis calcinatis rebus, ea eſt vis bullas in aqua concitandi, & ſiccandi. Ea autem terra impregnatas gloſſopetras ſcimus, & à natura artificioſè quaſi calcinatas, ſicut in Unicornu foſſili, Roſmari dentibus, aliisq; oſſium generibus idem experimur.

Monet verò ſchedula Melitenſis, ut per fide dignos veri dentes ex Melitâ tranſportentur, ne fraus ulla contingat ab impoſtoribus.

ribus. Quibus autem ſignis legitimi dignoſcantur à ſuppoſititiis, tradit *Academicus* Italus: quod non eſſe debeant dentes recentes marinorum monſtrorum, in trianguli formam tornati, albi & ſolidi quemadmodum alij dentes & oſſa, quia hi nullius ſunt valoris. Neq; ſint diuturnitate temporis, aut frigiditate loci in oſſeam duritiem converſi toti, quia his exilis ineſt virtus; Sed eligantur mediæ duritiei, & teneri & à Natura calcinati, qui una cum cortice ſplendido & lævi, dentibus noſtris facilè rumpuntur, & maſticantur, id quod etiam experimentum eſt Eboris benè calcinati, quanquam non ſentiatur ſapor ille aut odor cordialis, ſicut evenit in maſticatione eboris, boli, terræ lemniæ & Bezoar occidentalis. Sunt aliæ concretiones lapideæ molliores formam gloſſopetrarum æmulantes, quas tamen pro veris haud accipimus. In Sicilia prope Meſſanenſia mœnia tales complures eruimus, ſed deeſt exterior ſplendor, unde à Natura ex tophacea materia in iſtam figuram effictas certum eſt, & ſi ignem experiantur in calcem abeunt, gloſſopetræ contra, qua oſſeæ, in carbonem, quod advertit *Fab. Columna*. Cinericias præfert

Abe-

Abela, easq; ad dolores colicos, febres malignas, petechias &c. commendat.

HIST. II.

Dyſenterici Anatome.

ACcuratiſſimus *A.* F*alcoburgius*, quem in Anatome ducem habui, Leidæ hominem eviſceravit, quem Dyſenteria miſerum abſtulerat. In inteſtinis, colo præſertim & recto, apoſtemata hinc inde conſpiciebantur, quorum quædam rupta erant, & eo loci lacera inteſtina patebant. In meſenterio glandulæ quamplures tumidæ maturo pomo ſimiles, quibus apertis tale pus fætidum expuebatur, quale in Dyſenterico adhuc ſuperſtite effluxerat. Purulentis his tuberculis ſcatebant inteſtina mulieris Hafnienſis primariæ, prioribus annis Dyſenteria extinctæ, cui ne clyſter quidem, ob puris contranitentis copiam, intrudi poterat. Libram unam vel alteram materiæ purulentæ in recto inteſtino cadaveris puellæ Lugdunenſis invenit *Jo. de Lamoniere* de flux. Dyſent. c. 7. Ex eroſis continuam ſaniem effundi vidit *Benivenius* Obſ. c. 96. In involucris coacervatam obſer-

vavit *Hollerius* l. 1. c. 43. & ita putridam notat *Platerus* l. 3. Obſ. ut ob ſummum fœtorem internam inteſtinorum faciem inſpicere non licuerit.

HIST. III.

Dolor capitis à vermibus.

ANcilla quædam in Cimbria noſtra diu capitis doloribus enervata, qvum forte reclinato capite rhedæ incumberet, alius autem ipsâ inſciâ baculo fortius rhedam percuteret, ſtatim fractum cranium diſſiliit, innumerabilibus vermiculis prodeuntibus. Alia quoq; diuturno capitis dolore tentata, cum pavimentum heri ſui ſcopis purgaret, & forte fortuna quidam januam opinione citius in caput ejus aperiret, eandem mortis aleam ſubiit. In Scania ruſtica femina caput ſæpe dolebat, dolore totiens remittente quotiens vermes caudâ bifidâ, colore albo, magnitudine grani ſiliginis, per aures exibant. Hanc Parens purgantibus caput, ſternutatoriis & odoramentis viva animalia enecantibus priſtinæ ſanitati reſtituit. *Ronſſeus* Epiſt. Medic. 10. juvenculam novit quæ rejecto per nares verme millepedi non

non abſimili, à diuturno capitis dolore eſt reſtituta.

HIST. IV.

Motus poſt mortem.

REmanent non raro in demortuis particulis ſpirituum vaporumq; reliquiæ, quibus ad tremulum motum incitantur. Utrumq; comparuit in cadavere Virginis Nobilis grandævæ, apud nos non ita pridem fato functæ. Poſtquam extremum ſpiritum edidiſſet, officioſa mulier Cauponarij oculorum ſupercilia claudebat, dumq; operi huic religione conſuetâ accingitur, ingens ex ore ſonitus prodit, quem ructum credo ex vaporibus in ventriculo concluſis ex hypochondriaco affectu emergentem. Poſtea in ferali menſa funus adornatur, conſuunturq; à mulieribus amicis ſeu præficis ſepulchralia lintea. Inter quas occupationes ſupercilia aperit cadaver, interturbatq; ſuſceptas mulierum operas improviſa terroriſq; plena oculorum apertio, quam illæ neſcio cui miraculo, ego ſpirituum reliquiis adſcribo, vel ciliis rigentibus, ſerius clauſis.

HIST.

Digitized by Google

HIST. V.

Tuberculum in cornea poſt ophthalmiam.

CIvi Hafnienſi ſiniſter oculus poſt ablata Chalazia dextræ palpebræ inflammatus. In tantum verò crevit ophthalmia, ut de viſu periclitaretur. Magno molimine tentata omnia, venæ ſectio, pilulæ Cephalicæ, cucurbitulæ, collyria, veſicatoria, fontanella in nucha, quibus tandem ſedata inflammatio, & junctus tumor ſubſedit, viſusq; poſtliminió rediit, ſed in cornea relictum eſt tuberculum album, iridem inferiore parte obvelans, & cryſtallinum humorem ibidem obſcurans, ſed ſine manifeſto viſus nocumento. At gutta ſerena aliquid incommodi minatur, quam ab interna cauſa, ſine ullo cataractæ indicio, aut tuberculi culpa, imminere obſervavimus. Phlyctænas in cornea variolæ relinqvunt, unde deformitas & cæcitas, de cujus curatione nuper egit eruditè eruditus *Alexander Deodatus* in Valetudin.

HIST.

Digitized by Google

HIST. VI.

Encanthis oculi.

NEapoli cum hoſpite meo *M. A. Severino* Capuccinum inviſi, qui ex ungve malè curato Encanthiden in angulo dextri oculi incurrerat, unde claudebatur ferè tumida palpebra verſus exteriorem angulum. Inversâ palpebrâ callus inſtar unguis apparebat. *Severinus* loco hamuli apud *Celſum* l. 7. c. 7. acum bis trajecit cum filo, & à quatuor angulis filo apprehendit ne gliſceret, *Ætium* tetr. 2. Serm. 3. c. 62. ſeqvutus. Deinde eorundem conſilio novacula circumciſum excidit, cavitque, monitu *Celſi*, ne quid abſcinderetur ex ipſo, h. e. angulo ſeu palpebra. Exſecta portio carnem calloſam referebat. Mox impoſito albumine ovi & frigidâ inflammationem prohibuit. Poſtridie loco Cadmiæ, pulverem Tutiæ aſperſit.

HIST. VII.

Vinum in petechiali febre ſalutare.

VIni uſum damnat *Galenus* l. 1. ad Glaucon. c. 14. in febribus, præſerti[illegible] ar-
[illegible] nti-

dentibus & cum delirio. In utramque partem hoc argumentum ventilat *Fr. Antonius Caſerta* quæſt 15. l. de Nat. & Us. Vinor. Pro vino acriter pugnat validis rationibus *Helmontius* de Febr. c. 12. §. 7. ut etiam peſti concedat. *P. Poterius* l. 2. de Febr. c. 28. in febribus malignis, & ipſo contagio vini uſum tutum judicat, præſertim oligophori, quod variis argumentis & cautionibus fuſius deducit *Maur. Tirellus* lib. 2. de Hiſt. Vin. & Febr. Invitis Medicis in petechiali febre vino convaluit *Cæſar Crivellatus*, ut fatetur c. 22. de Us. Vin. in Acut. In hanc rem nonnulla affert *Rhodius* noſter Cent. 2. Obſ. Med. 16. Breviter nuper obſervata referam. Petechiali febre A. 1659. populariter in urbe noſtra graſſante, eo devenerat ſervus Archi Epiſcopi noſtri vigilantiſſimi D. *Johannis Suaningi*, ut nulla ſpe ſuperſtite de vita eſſet conclamatum. Ille verò mortis candidatus, qui mori ſe intelligebat, miſſo ad Epiſcopum nuncio, ſupplex vini hauſtum expetit ante fatalem horam, quod illi illicò conceſſum fuit largiore, quam expetierat, menſura. Poſt hauſtum vini Rhenani in ſudorem ſolutus, quievit, & judicata eſt cum ſalute febris, quanquam aliquoties ob diætæ vitium recidivam poſtea paſſus

ſit

ſit, innoxiè tamen. Similia exempla plura apud nos memoriæ occurrunt.

HIST. VIII.

Cranij caries ex ulcere.

ERoſum acuto humore capitis os *Benivenius* Obſ. Med. c. 18. obſervavit. Inter rara vidit *Aquapendens* Operat. Chir. de Gumm. puerum, cui ex dura cerebri membrana humor quidam acris & pravus per os exibat & ipſum cranium perforabat multis hinc inde foraminibus tum majoribus tum minoribus. Ex lue ſphacelatũ cerebrum detexit *Botallus* l. de Lue. Ven. c. 16. no. 17. Hafniæ ulcus caput hominis invaſerat in parte ejus dextra, quod malignitate ſua ad cranium usque, ſine tamen luis ſuſpicione, ſerpſit, ut incredibilibus doloribus capitis mors lenta ſucceſſerit. Cranium defuncti accuratius conſideravi. Os ſincipitis dextrum à ſagittali ſutura ad temporalem profundè caries corrupit, excavata prima lamina & ſecunda transparente. Ex ſerpente carie reliquæ partes externæ utriusq; bregmatis aſperæ & inæquales ſenſibus occurrunt. Foraminula multa ſunt pervia, præ-

ſertim

ſertim ubi venæ tranſire ſolent. Propè lambdoideam caries bregmata ſeparavit, & manifeſtiora foramina hiant. Secundum cranii longitudinem diffunditur caries, ſalvis oſſibus temporum, quod in cranii cavitate clarius apparet. Nam os infinitis porulis ab oſſe occipitis ad criſtam, quaſi acu diligenter pictum, cernitur. Obliteratæ ferè ſunt ſuturæ ſagittalis & coronalis, quanquam in homine necdum ſenium proſpiciente, ut mirum non ſit quod internis injuriis expoſitus fuerit, propter impeditum vaporum exitum. Contrarius videtur *Celſus* l. 8. c. 1. quem ad concordiam revocant *Fallopius*, *Columbus*, & *Riolanus*. Per transennam noto, textum *Celſi* ita emendatum eſſe à *P. Pawio* in Codice, qui penes me eſt: *Et id caput firmiſſimum atque à dolore tutiſſimum eſt ex cæteris, quo ſuturæ pauciores ſunt, eoque capitis valetudo commodior eſt*. Putat ibidem in margine Celſum ſcripſiſſe, *adeoque non à dolore*.

HIST. IX.

Arborum externum concrementum.

OBduci externè arboribus nutrimentum *Theophraſtus* l. 5. Hiſt. Plant. c. 3. ex

nodis

nodis probat, aliiſque argumentis. De lapide vel re ſimili affirmat occultari tandem amplexu auctionis obductæ ſeu περιφύσεως, ſi arbori inculcetur. Vidi cornua Cervina arbori eo modo innata, & maxillam equinam ab arbore arctiſſimè obductam, ut exinde nequeant extrahi, quæ in Auguſto Regis noſtri Clementiſſimi Dn. FRIDERICI III, Muſæo ſuſpenduntur. Externè nutrimentum ex radicibus diffundi, annoſæ arbores mihi perſuaſerunt, quas vidi ſolo cortice ſuperſtite, foliis virere. Eo igitur nutrimento externè affluente & indurato, tegitur quidquid arboribus appenditur tandemque occultatur, quod in oleaſtro, qui Megaris in foro ſtabat, eveniſſe accepit *Theophraſtus*, in quo perſciſſo, repertæ ſunt ocreæ, & alia quædam Attici ritus. Nempe veteri Græcorum ſuperſtitione oleaſtro dona votiva, veſtes &c. affigebantur. *Virgilius* l. 12. Æneid.

— nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti divo; & votas ſuſpendere
veſtes.

Inſcribuntur arborum corticibus à vulgo nomina, qvæ temporis diuturnitate ſucco arboris obducuntur. Vidi talium lignorum

plura genera, quibus per medium forte diſciſſis, literarum notæ integræ adhuc inſculptæ conſpiciebantur, multisq; miraculi loco habitæ, qvum vera cauſa ex *Theophraſto* pateat.

HIST. X.

Fungus palpebræ inferioris.

FUngos in ſingulis corporis partibus extuberare poſſe variis exemplis comprobat *Hildanus* Cent. 2. Obſ. 36. & *Sennertus* ad Hildan. Obſ. 35. De cerebro res eſt omnibus confeſſa, ejusq; membranarum læſione, de quo *Paræus* l. 9. Operat. Chir. c. 19. *Jo. Langius* l. 1. Epiſt. Med. 6. *Schenckius* l. 1. Obſ. de Cap. *Cornarius* Embl. 71. ad l. 4. Dioſcor. *Jo. Phil. Ingraſſias* de Tum. p. n. tract. 1. c. 1. p. 313. 314, qui generationis modum fuſius exponit. Ego nuperis annis in vulnerato majores fungos obſervavi. De externis egimus *Cent.* 3. *Hiſt.* 40. Poſt variolas per univerſum corpus fungos erupiſſe vidit *P. Borellus* Cent. 1. Obſ. 34. Aurium fungos alibi *Hildanus* Cent. 3. Obſ. 1. deſcribit, meminitq; horum *Tertullianus* l. de ſpectacul. c. 10. quem *Mercurialis* l. 6.

Var.

Var. Lect. c. 14. illuſtrat & emendat. Maxillæ fungus *Cent.* 3. *Hiſt.* 53, extat, & apud *Sennertum*, & gulæ apud *M. A. Severinum* l. de Noviſſ. Abſceſſ. c. 11. qui in abdomine quoq; hydropici copioſos repperit c. 2. in Mort. obſervat. §. 2. Prope umbilicum alibi mihi occurrebat fungus, & *Hildano* Cent. 2. Obſ. 62. Ex vulva exciſum notat *Zacutus* l. 3. Prax. adm. Obſ. 75. Ampliſſimus *Tulpius* l. 3. c. 33. & *Celſus* l. 6. c. 18. ulceris in ano fungum referentis curationem tradit. In pede inſignis Neapoli fuit fungus, accuratius nobis deſcriptus Cent. 2. Hiſt. 5. Ne longior ſim, hiſce diebus cum Chirurgo noſtro *Martino Sixio* puellulam ſemeſtrem ex vicina Inſula Amagria ad nos delatam inſpeximus, cui fungus ſiniſtræ palpebræ inferiori accreverat. Qvum primum obſtetricis manus evaſerat, vix caput aciculæ æquavit, jam verò prunum mediocre ſuperat, rotundus, colore intensè rubente, baſi latiore. Primo conſtrictionem, qua nihil proficiente ſectionem ſuaſi, ne oculum auctior clauderet, ita tamen ut palpebræ quantum fieri poteſt ratio habeatur. Urit *Hippocrates* l. de Vid. acie, & carnem inferiore parte leviter reſecat, ſed cartilaginem vitat. Quanquam levior palpe-

Digitized by Google

bræ inferioris ſit jactura, cujus impotentiam ſuperior ſupplet, niſi circularis muſculi læſione in damni conſortium trahatur: tamen leviter illa contuſa Joannem Beckler Epilepticum ſuſtuliſſe refert *Jo. Matthæus* Quæſt. Med. 27. Sed noſtræ puellæ fungus ſola adſtrictione & vinculo contabuit, ut ad ſectionem devenire non debuerimus.

HIST. XI.

Pullities Danica.


PUllos ex ovis in ſterquilinio excludendi modus *Cent.* 3. Hiſt. ult. nobis notatus fuit. Similem modum in ſtercore gallinaceo deſcribit *Conſtantinus Cæſar* l. 14. Geop. c. 8. & cum aliis in Ægypto uſitatum tradit *Ariſtoteles* l. 6. hiſt. Animal. c. 2. & 23. *Ac nihilo quidem ſecius ſponte ſua in terra, quam avium incubatu, perficiuntur. Quemadmodum in Ægypto defodiunt* in fimo terra obruto. *Et Syracuſis prodidêre potatorem quendam* ovis ſub ſtoria humo ſtratis, *tandiu potare, nunquam operâ intermiſſâ ſolitum eſſe dum ova excluderentur. Jam verò etiam indita* in vaſis tepidis *eo concocta ſunt, ut exirent ſponte pulli.* Præter triplicem hunc modum, alium per

per furnos Ægyptii excogitarunt. De quibus furnis ita ἀυλόπτης *Bellonius* l. 2. Obſ. 31: Per univerſam Ægyptum, pulli gallinacei à matre excludi non ſolent, ſed fornaces artificiosè, ut vidimus, exſtructas habent, in quibus tria aut quatuor ovorum millia reponunt, quarum calorem ita temperare norunt, ut omnia ova ſimul excludantur. Hi furni communes ſunt plurimis Ruſticis, qui è diverſis locis ſua ova inferentes iſtic excludi curant. Elegans naturæ artificium imitatus eſt Rex Daniæ glorioſiſſimus Divus CHRISTIANUS IV, exſtructis in villario Fridericiburgenſi furnis, in quibus majori compendio & facilitate ova innumera excluduntur. Sex furni una contignatione exſtructi viſuntur, à vulgaribus furnis quibus panes coqvuntur, nihil differentes, niſi quod ante os furnorum focus peculiaris ex laminis ferreis cum craticula extet, cui carbones rari & minuti incluſi calorem blandum furnis communicant. In furnis ſingulis cophinus eſt planus, pulvinari mollibus plumis farcto ſtratus, quadraginta aut quinquaginta ova continens. Vetula ſtipendio conducta, curatrix eſt, ova quam recentiſſima conquiſita explorat, plena ſint ac utilia nec ne, quod facilè animadvertit, ſi con-


Digitized by Google

tra lumen vel candelam teneantur, utilia deinde ad numerum quinquagenarium, ſingulis furnis imponit, focum lentum accendit, ova quotidie bis terve vertit, ut æqualiter concaleſcant, ad quadrageſimum ferme diem, quo pippientes pulli excutiuntur. Non omnia tamen ova pullos emittunt, ſed vix decimum quodque. Nec ad juſtam magnitudinem unquam perveniunt pulli, ob tenerrimam corpuſculi conſtitutionem. Excluſi pulli capis pectore deplumatis educandi committuntur, & ſcamnis in tepido loco immittuntur, antequam aëri patulo exponantur. Edules pulli menſæ Regiæ imponebantur, præſertim ſi quando curioſos Principes literatosque Viros menſa ſua dignaretur Rex Sereniſſimus. Placuit omnibus furnorum artificium, & multis paraſangis Ægyptios poſt ſe relinqvunt, ut ingenuè mihi & *Rhodio* noſtro teſtabatur *Jo. Veſlingius*, qui quinquennium Cairi in Ægypto moratus, furnos Ægyptiacos accuratiori diligentia expendit. Unde cum exhortatione ejusdem Rhodii Pullitiem Ægyptiacam meditaretur, quam tamen morte præventus non abſolvit, delineationem furnorum Danicorum ante fata deſideravit, qvam ab *Olao Wormio*, patriæ noſtræ ornamento, facilis

Furnus Danicus prior.



Digitized by Google



cilis impetravit, hic oculis curioſorum ſubjiciendam. Singula fabricam concernenria literis ſignatis explicabuntur, ex laudati Wormii præſcripto.

Furnus Danicus Prior:

A. Furni aperti icon.

B. Ventilabrum cum ſuo epiſtomio ligneo, quo calor dirigi ac moderari ſolet.

C. Furni interior capacitas.

D. Os quadratum, cui applicatur craticula ænea

E. minutis carbonibus repleta, ac demum oſtio clauditur ligneo, interiore parte lamina ænea obducto, fulcroque volubili ſuſtentato, per literam

F. notato; ita tamen ut pedibus quaſi duobus ferreis innixum viam præbeat aëri carbonibus ventilandis ſufficienti. In ipſa cavitate furni viſitur

G. orbis ligneus, cujus centrum axe dotatur, ut commodè circumrotari poſſit, ubi ſingula ova luſtrare, vertere ac tractare debet cuſtos. Hinc

H. pulvinar ex panno bombicino mollibus farctum plumis inſternitur, cui ova excludenda imponuntur, ac demum

I altero ſimili teguntur.

K Eundem furnum clauſum & excluſioni aptum deſignat.

De Furno Danico altero.

ALia via idem artificium aggreſſus eſt Rex Auguſtiſſimus, ſed diſpari felicitate & ſucceſſu. Furnus tamen operoſior eſt, duplici conſtans concameratione, cujus furni ſecundi hic typus, hæc explicatio.

α. Foramen cineribus eximendis deſtinatum.

β. Focus cum craticula, qui æneo clauditur oſtiolo.

γ. Os primæ concamerationis, in qua orbis, pulvinaria, & ova, ut in primo furno.

δ. Secunda concameratio primam cingens, in qua calor ex foco undiq; primam cingit.

ε. Foramina per quæ calor ex foco in ſecundæ concamerationis ambitum transmittitur.

ζ. interſtitium, in quo calor continetur.


η. Ventilabrum, quo calor dirigitur, ab averſâ furni parte ſitum.

Altitu-


6

pag. 216.

Fúrnus Danicus alter



Digitized by Google



Digitized by Google


Altitudo totius fabricæ, pedum circiter novem eſt, latitudo & profunditas 5. pulvinar in diametro $2\frac{1}{2}$ tenet. Elegantiſſimos furnos non ſemel his oculis luſtravi, & maximum maximi Regis ingenium admiratus ſum. Poſt illius Exceſſum villicorum negligentia diruti, vix jam ſui veſtigium reliquerunt. Ex naufragis fruſtis in rei memoriam ego pulvinar unum Muſæo meo intuli.

Eandem pullitiem æmulatus eſt Magnus Dux Hetruriæ FERDINANDUS II Mediceus, Princeps ad exemplum Principum natus, operisq; Cairo conductis non ita pridem ad Ægyptiorum ſimilitudinem furnos erexit vaſtos & capaces quinq; mille ovorum, cum ſtercore bovino, ſuppoſito igne. Malè initio ceſſit opus peregrinis artificibus, ut teſtatur *Jo. Nardus* ad Veſlingium. Nec enim tam accuratam habuerunt ignis rationem, quin pars magna ovorum ſit corrupta, inprimis mutata ſtatione ad frigidam circa feſtum Paſchatos Anni 1644. Ægyptij enim artifices pro aëris intemperie frigida corrigenda, ignis quantitatem auxerunt, cujus vitio decem mille ova combuſta. Poſtea verò juſto tempore excluſa ſunt tria millia, & felicius


ceſſit negocium commodiore anni tempore. Unde accuratius expenſis obſervatisq; omnibus in Etruria ex voto ſemper ſucceſſurum opus judicarunt artifices, excepta hyeme, & prima veris parte. Furnos hos Florentinos Ægyptiis ſimillimos affirmavit *Cl. Veſlingius*, qui ægrè à *Nardio* illorum delineationem, mox hic apponendam, impetravit, quia pictores ignis magni calorem & loci fœtorem ſubterfugerunt. Ne fides mea ſit in his ſuſpecta, ex quibus furnorum noſtrorum deſcriptiones mutuatus ſum, ſubjungam Epiſtolas hujus argumenti magnorum Virorum, mihiq; dum vixerunt, amiciſſimorum.

Cl. Excellentiſſimoq; Viro D. Olao Wormio Regio Medicinæ Profeſſori S.

VEſlingius noſter quinquennium Cairi moratus exhortatione mea Pullitiem Ægyptiam meditatur pereruditam. Singulari cura eam Magnus Hetruriæ Dux operis inde conductis æmulatus accuratam furni delineationem indulſit, quam ille Ægyptiæ ſimillimam affirmat. Eundem Augusti-



Furnus Florentinus.



Digitized by Google

Digitized by Google

guſtiſſimi Regis noſtri conatum intellexi. Si quod ejus veſtigium, rem totam plenius quæſo, explica. Quis furni modulus, quæ foci materia, quæ nationis ac turbæ cura, quisnam eventus. Totum quod fuerit, grata diligentiæ veſtræ debebit poſteritas, quam honeſtis tibi hactenus devinxiſti laboribus, &c. Batavij III. Non. Auguſt. cIɔ Iɔc XLIV.

Jo. Rhodius.

Cl. Joh. Rhodio.

GRatum mihi fuit, quod intelligam quidpiam à me profectum, tibi quod uſui eſſe poſſit, ſecurum te volo, nihil unquam antiquius, quam amicis gratificari. Non miror Bartholinum ſegniorem jam in reſpondendo, ſiquidem intelligam ipſum Amſtelodami lecto affixum, nec quicquam interea temporis huc ad amicos literarum dediſſe. Quod Celſum tuum liberè à ſuſpicionibus, etiam meis, vindicaveris, rem te dignam præſtitiſti, ac eo fine provocaſti occaſionem ut præberem nihil omittendi, quod eo ſpectaret. Quocunque modo id feceris, mihi gratum, cum unicæ veritati addi-

addictum, ab omni partium ſtudio & maledictis alienum te ſemper ſim expertus. Fibulæ meæ mitto iconem, quæ ærugine obducta, parum diſtat ab ea quam loco quarto inter Menetriamos propoſuiſti, ſaccus minor aliquanto eſt, & acus receptaculum latius ad quadratum accedens. Jungo ſtylum ſeu graphium, quod etiam æreum, ejus planè longitudinis & figuræ quam pictura oſtendit. Apex exarandis, caput delendis notis videtur deputatum; hinc ventre protuberat Rhomboideo ferme, ut digitis præmentibus ſit ſubſidio. Argumentum Veslingio veſtro ſuppeditaſti verè elegans & curioſum, in quo ſi occupatur ea cura, qua in reliquis ſuis Ægyptiacis, immortalem vel hoc ſolo, ſibi polliceri valet nominis famam. Sereniſſimi Regis noſtri conatus in hoc genere quod concernit, quid de iis mihi conſtat, brevibus referam. Anno M.DCXL menſe Auguſto Fridrichsburgum vocatus eram, aulicis quibusdam Dyſenteria Epidemica laborantibus ut conſulerem; accidit die quadam, menſæ Regiæ hoſpes dum accumberem, inter reliqua fercula pulli gallinacei ut apponerentur. Ex me tum quærere Maj. Regia, an quo pacto excluſi eſſent hi pulli, ſcirem? Ego gallinæ incubatu, regeſſi.

Digitized by Google

geſſi. Nequaquam reſpondit, ſed in furnis peculiaribus ad morem Ægyptiacum, cumq; me Ægyptum in Daniam translatam mirari animadverteret; quo tibi major ſit rei fides, inquit, mox à prandio in villam meam, ubi excluduntur, deducendum curabo, quo oculis cuncta accuratius uſurpare valeas. Quod & factum. Eo ubi veni, comitatus filiabus Regiis, Concionatore aulico, aliisque nonnullis, inveni in conclavi ad id deputato, ſex furnos ad id deputatos, quorum figura nihil fermè diſtabat à vulgaribus in quibus panes coqvunt, niſi quod ante os focus peculiaris ex laminis ferreis cum craticula eſſet exſtructus, cui carbones rari & minuti incluſi, calorem blandum toti ſtructuræ ſuppeditantes, manum enim alveo immittenti mitiſſimus occurrebat. In furno cophinus erat planus, pulvinari mollibus plumis gallinaceis farcto, ſtratus, quadraginta aut quinquaginta circiter ova continens. Adſtabat vetula ſtipendio conducta, omnium moderatrix. Hæc qvum de tota excludendi ratione à me interrogaretur; reſpondit, ſe primo ova gallinacea quam recentiſſima aliunde conquiſita, per candelam explorare, fœcunda an eſſent, quæq; melioris notæ depræhendebat ad nu-

numerum fermè quinquagenarium ſimu uni furno imponere, focum deinde lentum qualem vidimus accendere, eumq; ne exſtinguatur diligenter curare, ova quotidie bis vel ter verſare ad quadrageſimum fermè diem, prodire pippientes pullos, quamvis raros, adeò ut quandoq; vix decimum ovum exſpectationi reſpondeat. Excluſos demum capis pectore deplumatis (quos eum in finem alit) educandos committere, qui ſuo officio ſtrenuè defungi ſolent. Hæc tota eſt operis Lithurgia. Dum curioſius ſingula luſtro, peto facultatem mihi concedi unum aut alterum ex ovis quæ per quatuordecim circiter dies furno erant incluſa, frangendi & examinandi, ut ductum artis Naturam imitantis certius explorarem. Renuit vetula; ſed juſſa à comitibus bina tandem obtulit. Alterum dum frangerem plane putridum deprehendi, in altero evidentia ſatis alitis lineamenta, oculorum imprimis & totius capitis. In area quindecim ejusmodi pullos, diverſorum colorum ſub diſciplina caponum vidi, ad columbinam circiter magnitudinem educatos. Retulit verò Maj. Regia, ſe à vetula hac aliisq; perſuaſum, ad juſtam magnitudinem ob tenerrimam corporis conſtitutionem vix pervenire

nire

nire poſſe. Quocirca ubi externi Principes aut Legati lauti⁹ in aula excipiuntur, ad culinam ſenſim deferuntur, ut de iis diſſerendi advenis detur occaſio melior. Non quæſtus aut lucri cauſa, hæc inſtituta pullatio. Decies enim pluries conſtat ordinariâ Naturæ; Sed quia Sereniſſimo Regi placuit in veritatem artificij Ægyptiaci inquirere, ac ipſa hunc modum invenit, eo haud parum delectari ſolet. Hæc ſunt quæ de Danico artificio tibi narranda habui, ſi alicujus uſus Clariſſimo Veſlingio eſſe poſſint, gaudebo me ſymbolam qualemcunq; tam præclaris auſibus contuliſſe. Vale. Haſniæ XVII Cal. Oct. Anno M DC XLIV.

T. Olaus Worm.

HIST. XII.

Pulmonis Abſceſſus ſponte ruptus.

CEnturio Bohemus, mihi notus, abſceſſum in pectore diu circumtulerat, qui adeò bronchia compreſſerat, ut non niſi cum ſibilo difficilem vocem proferret. Paſſim remedia morbo quæſivit, ſed pectoralia, expe-

expectorantia, & quidquid denique lingi poterat, nihil profuere. Pertæſus omnium, vivendi tamen deſiderio flagrans, qvum pandiculatione inſigni brachiis ſurſum elatis in lecto conquereretur ſano corde mortem ſibi tandem imminere, præter ſpem in pectore abſceſſus ruptus eſt, magnâ puris copia per os expurgatâ, ſanitatem ægris quæſitam ſuſpiriis recuperavit. Pandiculatione iſta motuque brachiorum muſculi pectorales compreſſerunt thoracem, maturumque abſceſſum latentem compreſſu ſuo aperuerunt.

HIST. XIII.

Cerebri abſceſſus per nares oculosq; purgatus.

HOratius *Augenius* l. 8. Epiſt. 1. homini cuidam in montibus, quem expiraturum antea prædixerat, maximo naturæ impetu facto per nares aureſque, affatim libras quatuor plus minus, puris albi vacuatas conſpexit, ſicque vitæ fuiſſe reſtitutum. Ante pluſculos annos Generoſus Heros Oligerus Roſæcrantzius, Vir Divinus, quocunque veniret, & ſe verteret, fœtorem naribus occur-

curſantem ſentiebat, de quo ſæpe multumq; apud Parentem noſtrum, quem ſibi amicum delegerat, conquerebatur, aliis nihil fœtidi adeſſe aſſeverantibus. Tandem per nares ſenſim octo dierum ſpacio fluebat fœtida flavaque materia, rupti abſceſſus certo indicio, & ſummo ægri ſummi levamine. Alia Matrona Nobilis catarrhoſis fluxionibus ſupra fidem ſubjecta, Medicis in illa curanda operam oleumque perdentibus, naturæ benignitate convaluit, quæ per alterum oculum, planè exturbatum, magnam puris copiam morbumque ipſum protruſit. Anni exinde viginti ætati acceſſerunt, quibus incolumis, ſi podagram excipias, vitæ reliqvum transegit. Extra ſitum orbitamque in catarrhis protruſos oculos in Avo Sene clariſſimo obſervavi, & uxore barbitonſoris. Quid oculi ante faciem ſecundum naturam eminentes ſignificent, videatur *Adamantius* Sophiſta l. 1. Phyſiognom. c. 8.

HIST. XIV.

Vomica pectoris in duello rupta.

MUltis infortunium ſalutis cauſa fuit, & ex transverſo ſæpe ſucceſſit ſanitas

qvum timeretur mors. *Plinio* ſi credimus, Phaleræus quidam vomicæ morbo à Medicis deploratus, qvum mortem in acie quæreret, vulnerato pectore invenit medicinam. Filius civis Hafnienſis primarii vomicam diu in pectore geſtavit, quanquam ignotam, unde in ſpirandi difficultatem & atrophiam incidit ut vix oſſibus hæreret. Forte Lugduni ad confluentem Rhodani & Araris in duello vulneratur, gladio prope ſternon inter coſtas penetrante. Hoc vulnere vomica latens feliciter aperitur, cujus pure defluente repletus thorax vix læſo ſpiritum concedebat. Conſilio demum Medicorum peritiſſimorum, inter quos eminet D. *Gras*, difficultas omnis & ſpiritus & vitæ ſublata fuit, aperto enim ſicut in Empyematicis latere inter conſuetas coſtas, qvum confertim magna copia evacuatum eſſet pus, ſenſim ad ſe rediit, procuratoque vulnere utroque & convaluit, &, macie ante confectus, ſublato nempe interno pectoris abſceſſu, habituoſior factus, beneque valens in patriam reverſus, illi debuit ſanitatem, à quo læſus credebatur.

HIST.

HIST. XV.

Globulus ſclopeti in faucibus relictus.

Miles legionis ſtrenui & invicti animi Uldarici Chriſtiani Gyldenlow, in obſidione Hafnienſi, ſclopeto per maxillam ſuperiorem transfixus, partem labiorum, dentesque aliquot, cum inſigni hæmorrhagia amittit. Nullum deliteſcentis vel exeuntis globuli uſquam apparuit veſtigium, nec tamen fauces penetraſſe obſervatum fuit. Interea per Chirurgum noſtrum peritum Ad. Danielem Aſpach curatur vulnus ſummâ diligentiâ, crebrisq; hæmorrhagiis occurſum. Circa amygdalarum regionem tumor externè ſe aliquando prodidit, cum inſigni dolore, qui ſenſim diſparuit, qvum metu carotidum locum tumentem ferro aperire Chirurgus ſubterfugeret. Integræ ut videbatur ſanitati reſtitutus, qvum in urbis obſeſſæ mæniis, quod ſtrenuum militem decet, exſequeretur, poſtq; magnos labores ſomno parumper indulgeret, ſponte globulus prodit & exſpuitur, qui ſemeſtri ſpacio intra faucium anfractus delituerat. Per ſemeſtre quoq; globulus in

cerebro delituit apud *Hildanum* Cent. 1. Obſ. 2. Sed illæſis membranis. Per biennium & menſes duos aureum nummum in Iſthmo faucium civis Auguſtani hæſiſſe narrat *Hechſtetterus* Decad. 6. Obſ. Med. Caſ. 10. ſine impedimento, ſed qua parte, ipſe Anatomicis exercitatis relinquit excutiendum. In noſtro homine amygdalis inhæſiſſe globulum, magna veri ſpecie ſuſpicamur.

HIST. XVI.

Mors ex nimio potu.

GAllus quidam, cujus nomini parco, cum nativâ imbecillitate, curisq; in proprium commodum & imprecationibus tabeſceret, prævisa moriendi neceſſitate, omnia vinorum genera ſibi afferri curavit, & ſtrenuè ex ſingulis bibit, ſed inter hos bibendi conatus & concertationes, ſcypho nondum ab ore remoto, animam bibulam querulamq; efflavit bibo. Alius Flander Neapoli in hoſpitio noſtro ex ſanguine multo ad fauces delato poſt gonorrhæam & generoſi vini potum ſuffocatus eſt. Ita optimarum rerum etiam ſuus eſſe debet modus.

HIST.

HIST. XVII.

Tabaci virtus in Hydrope.

OPtimus in urbe noſtra Vir ex hyemis prægreſſæ injuriis & ſedentaria vita Aſciten contraxit, abdomine in ingentem molem elevato, pedibus tumidis, ſcroto & præputio valdè diſtentis. Circa ſolſtitium æſtivum, forte tabaci fumum cum amicis per fiſtulam hauſit. Exinde ſucceſſit vomitus, ſoluta alvus, ſerum copioſè aliquot dierum intervallo expurgatum, ſenſimq; & abdomen detumuit, & pedes, ſcrotumq; ad priſtinum ſtatum rediere. *Dodonæus* ejusdem tabaci uſum in Hydrope illuſtrat exemplo, laudatq; *Neander* in Tabacol. Et *Magnenus* de Tabac. Exercit. 14. ſed in ætate forti & juvenili.

HIST. XVIII.

Dolor pedum in parturientibus.

PRopter uteri vincula ad crura protenſa, non mirum eſt, ſi in gravidis crus doleat. Credunt maris eſſe ſignum, ſi crus dextrum, feminæ, ſi ſiniſtrum doleat, quia dex-

træ uteri parti maximè incubans fœtus ſexus potioris, dextra uteri ligamenta extendit. Ligamenta verò iſta, ultra medium femur raro protenduntur. Hinc rara mihi videtur puerpera ruſtica apud noſtros, quæ non ita pridem ipſo pariendi tempore, tantos in calcaneo perſentiit dolores, ut veros parturientium dolores præ his ſpreverit, obſtetricisq; & adſtantium mulierum curam diverterit, quæ per calcaneum proditurum fætum ſuſpicabantur. Forſan raro naturæ ludentis exemplo, vinculorum uteri fines in hac puerpera longius fuerunt protenſi. Alia nobilis puerpera mihi fatebatur, nullo ſymptomate ſe moleſtius affligi, quam ingenti pedum extremorum fervore. Fervor à calido ſanguine ex utroq; vaſorum genere hic concurrente & per puerperij labores alterato. Dolorem autem incredibilem idem etiam conatus in pedibus commotis & contranitentibus potuit excitare. Maximus ſane in calcaneo & pedum planta doloris ſenſus ob ligamentorum copiam nervorumq; concurſum, quod in peſtilentia expertus eſt *Hildanus* Cent. 4. Obſ. 86. Pro maximo tormento erat plantarum pedis percuſſio inter milites Polonos, quo in patria noſtra crudeliter non pau-

paucos, inducta gangræna, torſerunt nuper. Ex levi calcanei vulnere Marcus Sobiratius Avenione ſeptimo die occubuit, apud Fr. *Valleriolam* l. 3. Enarrat. 8. Unde patet, cur varias perſeqvutiones Chriſto ejusq; aſſeclis inferendas à Satana, per calcanei morſum exprimat ſacer Hiſtoricus *Gen.* 3, 15.

HIST. XIX.

Tumor ventriculi carnoſus.

Vitium primæ coctionis, non emendari in ſequentibus, Medicorum conſenſu jactatum eſt proverbium. Hinc ſi ventriculus, corporis ille coqvus, ab opere læſus deſiſtat, impediri corporis nutritionem, & induci atrophiam. Aliter gallinæ in ædibus noſtris evenit. Tumor carnoſus ingens ventriculum membranoſum occuparat, ut pondere ſuo greſſum ferè impediret, caputque ad terram deprimeret, magnitudine mali granati; adeò tamen ſana erat & pingvis, ut reſecto jugulo culinæ adjudicata cum capone pingui potuerit certare. Nempe ventriculus alter carnoſus robuſtior, facilè ingluviei defectum ſupplebat, præſertim

qvum pellicula hæc ingluviei inepta pronuncietur ad coquendum cibum P. *Caſtello* l. 1. Emetic. c. 4. In alia gallina atheroma ventriculo ſecundo adnatum ad atrophiam perduxerat.

HIST. XX.

Epilepſia ex vermibus.

JUvenis XXII annorum in urbe noſtra convulſionibus ſæpe, ſed haud magno conatu, comprehenſus, qvum pro redimenda ſalute variis fruſtra adhibitis, tandem inter medicamenta ſuaſu Medici miſceret vermes pellentia, demum in cauſæ notitiam pervenit. Prodiere confertim Aſcarides qui per tormina antea ſe ſatis prodiderant. Hinc contra vermes pugnatum, & meliore curſu reliqua curatio proceſſit.

HIST. XXI.

Exulceratio ſtomachi.

CUm aliquando Vir incomparabilis *Oligerus Roſæcrantzius*, Regni Daniæ Senator & literatorum magnus quondam Mecænas, ab imperito Medico purgantem medici-

dicinam hauſiſſet, cui ad accelerandam evacuationem, acria quædam & erodentia fuerant permiſta; tantus dolor ventriculi ortus eſt, ut trium hebdomadum ſpacio per os nihil ferè ſine immani loci exulcerati dolore aſſumere potuerit, & fame pene enecaretur. Medicis aliis in caſſum laborantibus, tandem, quod propria ratio & experientia ſuggeſſit, uſus eſt tragacantho cum aqua florum Roris marini miſto, cujus fragranti tenacitate ulcus conſolidatum, & multos poſtea annos Vir ſummus vixit incolumis, quod de eo teſtatur in ſchedis ſuis *Caſp. Bartholinus*, Parens noſter memoriæ æternæ.

HIST. XXII.

Scapulæ divulſio.

SCapulæ os in dorſo, cui inſternitur, liberè, ſine ulla articulatione, fluctuat. Hinc ſine damno in tergum brachia flectuntur. Muſculis tamen, qui vel ad homoplatas, vel ad brachium ſpectant, & ligamentis, laxius alligantur claviculis, humero & dorſo. Divulſionem raram ſcapulæ à dorſo A. 1659 obſervavi. In navi claſſis

Regiæ apprehenſo fune fortius ſe continuit Cl. Vir D. *Simon Paulli*, amicus noſter magnus, ad urbem obſeſſam rediturus. Statim circa claviculas & collum ſenſit inflammationem, qua per ſectam venam extincta, difficilem & doloroſum brachii dextri motum eſt expertus, præſertim circa deltoidis inſertionem, ubi moto brachio dolores inſurgebant. Qvum mihi amico dolentes partes nudato corpore concederet luſtrandas, comperi, utroque brachio ad anteriora æquali forma & ſitu extenſo, ſcapulam dextram extare & à dorſo nonnihil divulſam, cæteris omnibus ſanis. Compreſsâ verò ſcapulâ & per manum adſtantium arctius dorſo applicatâ, ſine ullo dolore brachium pro arbitrio movebatur. Hinc ſpleniis, emplaſtro adſtringente, ligaturisque accuratis per Chirurgum Sixium ſcapulam conſtrinximus, ut divulſa pars loco ſuo redderetur, quod feliciter ægro nobisq; decem & quatuor dierum in lecto quiete & in dorſum decubitu ſucceſſit. De diſſolutione ſcapulæ in jumentis diſſerit P. *Vegetius* l. 2. Veterin. c. 44.

HIST.

HIST. XXIII.

Convulſio ex lue Venerea.

QVum Zacharias Bononienſis, cujus valetudini cum Magno *Joh. Dom. Sala* interfui, à mala prioris anni gummatis curatione Patavium reverſus, curationem repetens febre perſeverante & gummate cruris amplificato, externa remedia cum ſucceſſu recepiſſet, eſcharam nempe & abraſionem, interna quoque pro luis reliquiis, decoctum & ſublimatum dulce, à XX diebus deinde à medicamentis abſtinuit, & requievit, plaga omnia felicia promittente & febre ferè abſente. Sed mox indicia convulſionis in ore apparuerunt, quæ tum inunctionibus ſublevata credebatur, poſtridie tamen aucta, qvum os prope clauſum liquoris parum admitteret, poſtea crevit, ut nec aperire os poſſet, nec deglutire, quia compreſſis muſculis comprimitur & œſophagus. Difficilis aderat motus capitis & totius corporis in alterutrum latus. Difficultas quoq; urinæ comitabatur non niſi magno & gemebundo conatu reddendæ, quæ mala tamen non erat. Convulſio hæc tendinum aperientium & moventium os eſſe

eſſe videbatur, quia os non movebatur, chordæ plenæ manifeſtò tenſæ cernebantur. In muſculis quoq; œſophagi deglutientibus minoribus majoribusq; univerſum œſophagum ambientibus, convulſio erat. Ex ſiccitate ortam prægreſſa febris, decoctum, & ſicca diæta indicabant. Pro repletione tamen plura militabant, quia catarrhum ſentiit copioſè confluentem, & tendines tumidi apparebant. Remedia à Conſultantibus Medicis Patavinis præſcripta non enumerabo, quia ex cauſarum enumeratione per ſe ſunt manifeſta.

HIST. XXIV.

Pulſatio per univerſum corpus.

VIr quidam Veronenſis mediæ ætatis, temperamento melancholicus, de dolore abdominis conquerens, pulſationem per univerſum ferè corpus Patavij ſentiit, cum dolore, tumentibus venis varicoſis, quos effectus cordis & virium languor ſeqvutus. Varices tortuoſi in pedibus & inguine lati, ſubinde majores minoreſve. Me præſente de morbo initum conſilium, viſumq; ibidem Medicinæ Proceribus, affe-

ctum

Digitized by Google

ctum eſſe hypochondriacum, quia in abdomine rugitus erat, non tamen melancholicum, quia nulla in cerebro functionum læſio, nec tumor in abdomine, nec φλόγωσις illa aliàs uſitata: eſſe tamen rudimentum melancholiæ hypochondriacæ, & niſi varices ſuperveniſſent, citius melancholiam irruiſſe.

HIST. XXV.

Unguentum Torchillianum.

REctè *Celſus* l. 4. c.4. & 6. remedia quæ idoneos authores ex populo habent, quamvis in monumentis medicorum non legerit, ſuo tamen operi inſeruit, quæ nihil periculi habere poſſunt. Inter vulgus noſtrum celebre & decantatum eſt unguentum Tochilli Ruſtici Cimbri, quo feliciter utuntur in vulneribus recentibus & inveteratis, in nervorum reſolutione & quam plurimis aliis affectibus, ut huc tanquam ad ſacram anchoram confugiant. Quanquam ex lege artis confectum non ſit, contemnenda tamen neutiquam eſt plebeji hominis experientia, quandoq; olitor eſt opportuna loqvutus. Ut ad plures unguentum per-

Digitized by Google

perveniat, non gravabor plebejam hic compoſitionem ſignare.

Recipe Balſamitæ ſeu Salviæ part. IV, Millefolii part. III. quæ colligantur exeunte menſe Majo, vel aliàs pro tempeſtatis varietate. Minutim inciſa ſimul coquantur per horas duas in vaſe, cum butyri Majalis lib. viij pond. civil. filtrentur, & colatura iterum igni imponatur, admixtis ſævi cervini libra una, & ſævi hircini lib. 1. ceræ lib. ſem. reſinæ Pini quartar. terebinthinæ lib. 1. ſem. coquantur omnia invicem donec diſſoluta ſint, deinde ab igne remotis addendum tantum æruginis minutim contuſi, ut viridi colore tingantur, immiſcendæ quoque olei ſpicæ Unciæ duæ, & ita omnia invicem permiſceantur & agitentur donec refrigeſcant.

Aliud ejusdem ungventum ad membrorum dolores, fracturas oſſium, luxationes, aliosque externos morbos, qui integra & illæſa cute moleſti ſunt, miris à vulgo encomiis laudatur, cujus hæc eſt conficiendi ratio. Recipe abſinthii marini viridis, quod in foſſis antiquis urbis Hafnienſis reperitur, quartarium vaſis, Conſolidæ majoris tantundem, quæ 14 diebus ante feſtum S. Johannis colligantur. Minutim conciſa coquan-

quantur per horas duas in butyri majalis lib. X. & colentur, colatura ſuper novum ignem reponatur cum ſævi cervini lib. II. axungiæ Taxi potta una, ceræ lib. ſem. terebinthinæ lib. II. & ſem. donec hæc liqueſcant, deinde ab igne remotis addantur olei Juniperini Vnciæ quatuor, & invicem agitentur donec refrigeſcant.

HIST. XXVI.

Prognoſtica ex Puſtulis.

PRobè memini Avum meum Maternum *D. Thomam Finckium*, de clariſſimi nominis viro *D. Petro Severino*, qui peſtilentia in urbe noſtra graſſante, XXVIII Julij cIↃ IↃcII obiit, narrare ſolitum, comparuiſſe ante morbi maligni invaſionem in ſani adhuc, ut putabatur, ſupercilio exanthema ſubobſcurum, ex quo ipſe ſibi præmaturum fatum intra paucos dies prædixit. *Rol. Capellutius* l. de Cur. Apoſt. Peſtif. alios refert mortuos peſte, qui poſt aures vel juxta oculum dextrum vel ſiniſtrum nigredinem quandam ad lentis ſimilitudinem habebant. Invenio ſimilia prognoſtica in libro *Hippocratis* de Puſtulis, hactenus necdum

dum edito, ſi quidem nomen non mentiatur author. Ex ſuis theſauris mihi hunc amicè conceſſit Polyhiſtor *Jacobus Golius*, Leidenſium decus, qvum olim linguæ Arabicæ fundamenta nobis inſtillaret. Ex Arabica lingua latinitate donatum non invidebo poſteritati.

HIPPOCRATIS Liber De *Puſtulis*.

IN nomine DEI. Hic eſt liber *Hippocratis*, qui inventus eſt in ſepulchro ejus. Explicavit eum *Bachiri* Præfectus. Fando accepimus, quod ille morti vicinus juſſerit, ut hic liber capſulæ eburneæ involutus ſe cum in ſepulchro ſepeliretur, ne ulli innoteſceret. Cæſar verò deſiderio flagrans videre ſepulchrum *Hippocratis*, ne periret, renovare & pulchrius ædificari, ſiq; corpus ejus integrum reperiretur, ſibi afferri juſſit. Effoſſo ſepulchro inventa ibidem capſula ex ebore cum hac epiſtola, quam attulerunt Cæſari, qui illâ viſâ, tradidit lateri ejus inhærenti Secretario.

Incepit *Hippocrates* & dixit; ſi erit in facie ægrotantis apoſtema, nec manus ſiniſtra

ſuper

ſuper pectus depoſita poterit tangere, ſcias quod ipſe morietur poſt 23 dies, inprimis ſi ab initio morbi per nares rhoncos duxerit.

Dixit *Hippocrates*, ſi erit in ambobus genubus ægrotantis apoſtema valdè magnum, ſcias quod ipſe morietur poſt octo dies, præſertim ſi à principio morbi largius ſudaverit.

Dixit *Hippocrates*, ſi erit ſuper venam colli ſoporiferam puſtula parva inſtar cineris, fac ſciat moriturum iſtum ægrum poſt dies quinquaginta duos, cujus ſignum erit, quod ipſe multum ſitiet.

Dixit *Hippocrates*, ſi fuerit ſuper linguam puſtula parva ſimilis gramini, quod vocatur muſca canis, aut ſemini Alcherva, ſcias quod ſocius morbi morietur ipſo illo die ſtatim, cujus ſignum hoc erit, quod ipſe deſiderat in morbi principio cibum naturâ ſuâ calidum.

Dixit *Hippocrates*, ſi erit ſuper digitum aliquem puſtula parva nigra, quaſi minimum piſum, & doluerit, ſcias quod ſocius morbi morietur poſt duos dies à morbo, cujus ſignum hoc erit, quod corporis laſſitudo in principio morbi adſit.

Dixit *Hippocrates*, ſi erit ſuper pollicem manus ſiniſtræ aut ſiniſtri pedis puſtula

Digitized by Google

morboſa quaſi faba coloris obſcuri indolens, ſcias quod ægrotus morietur ſexto die à principio morbi, & ſignum hoc erit, quod variè mutetur morbus à primo principio.

Dixit *Hippocrates*, ſi erit in digito medio dextri pedis puſtula, ejus coloris quo colore argentarius detergit, ſcias quod ſocius morbi hujus morietur poſt dies duodecim, & ſignum hoc erit, quod ipſe in morbi principio appetat res valde acres.

Dixit *Hippocrates*, ſi erunt ungues digiti obſcuro colore & in *fronte puſtula ſanguinea*, ſcias quod ſocius morbi morietur poſt IV dies à principio morbi, & ſignum hoc erit, quod in morbi principio multum ſternutet & oſcitet.

Dixit *Hippocrates*, ſi erit in pollice pedis pruritus frequens,& erit color colli obſcurus valdè, ſcias quod ſocius hujus morietur in die quinto à morbo ejus, antequam Sol occidat, & ſignum hoc, quod ipſe mingat in principio morbi multum & ſæpe.

Dixit *Hippocrates*, ſi erunt ſuper palpebras ægrotantis tres puſtulæ, una ex illis nigra, altera obſcura, tertia rufa, ſcias quod ſocius huj⁹ morbi morietur circa decimum ſeptimum diem à morbi principio, cujus ſignum hoc erit, quod multum ſputet in morbi principio.

Di-

Digitized by Google

Dixit *Hippocrates*, ſi erit ſuper palpebram alterius oculi puſtula, ſicut nux, non dura obſcuri coloris, ſcias quod ſocius ejus morietur poſt duos dies à morbi ejus principio, & ſignum hoc erit, quod in principio morbi ſomnolentus valde ſit.

Dixit *Hippocrates*, ſi fluxerit è naribus ægrotantis ſanguis ad rufum vergens, & apparuerint in manu dextra puſtulæ albæ indolentes, ſcias quod ſocius iſtius morietur tertio die à morbo, & ſignum hoc erit, quod initio morbi nullum cibum appetat.

Dixit *Hippocrates*, ſi apparuerit in femore ſiniſtro ægrotantis rubedo intenſa indolens longitudine trium digitorum, ſcias quod ſocius ejus morietur poſt 25 dies à morbo ejus, & ſignum hoc erit, quod ipſe ſcalpit in principio ſcalpendo vehementer, & pro cibo olus appetit.

Dixit *Hippocrates*, ſi erit poſt aurem ſiniſtram puſtula nigra, ſcias quod ſocius ejus morietur vigeſimo quarto die à morbo ejus, & ſignum hoc erit, quod in principio morbi potum aquæ frigidæ magno deſiderio expetat.

Dixit *Hippocrates*, ſi fuerit poſt aurem ſiniſtram puſtula dura alba quaſi ciceris unius, ſcias quod ſocius ejus morietur poſt XX

Digitized by Google

dies à principio morbi ejus, iſta hora qua apparuit illa puſtula, & ſignum hoc,quod multum mingat in principio morbi.

Dixit *Hippocrates*, ſi erit poſt aurem dextram puſtula rubra inſtar ignis fervens magnitudine fabæ, ſcis quod ſocius ejus morietur ſeptimo die à morbo, & ſignum hoc quod ipſe in morbi principio multum vomat.

Dixit *Hippocrates*,ſi erit ſub mento puſtula rubra inſtar fabæ Ægyptiacæ, ſcis quod ſocius ejus morietur circa LII diem, & ſignum hoc, quod ipſe à morbi principio ex ore pituitam copioſam rejiciat.

Dixit *Hippocrates*, ſi accidat quibusdam hominibus dolor vehemens in glande penis, tumque apparuerit in cubito puſtula obſcuro colore, ſcis quod ipſe morietur die quinto à morbo ejus, & ſignum hoc quod in principio morbi vinum bibere expetat.

Dixit *Hippocrates*,ſi fuerit ſupra latus dextrum puſtula non dolens obſcuri coloris, ſcis quod ſocius ejus morietur ſeptimo die à principio morbi ejus ante ſolis ortum, & ſignum iſtud, quod ipſe erit multum oſcitans.

Dixit *Hippocrates*, ſi fuerit in alis ſiniſtris puſtu-

puſtula obſcura inſtar oſſis Cydonij mali, ſcis quod ſocius ejus morietur quindecimo die à morbo ejus, & ſignum hoc quod in principio morbi ipſum gravis ſomnus invadat.

Dixit *Hippocrates*, ſi fuerint in calce puſtulæ plurimæ nigræ, ſcis quod ægrotans morietur die XXVIII à principio illius morbi, & ſignum hoc, quod expetat aërem frigidum in morbi principio, & valdè appetat cibum frigidum.

Dixit *Hippocrates*, ſi fuerit ſupra ſiniſtra tempora puſtula rufa, ſcis quod ſocius morbi hujus morietur quarto die à morbo, & ſignum hoc, quod accidat ei in principio morbi ejus pruritus magnus in oculis, ut non poſſit à fricatione deſiſtere.

Dixit *Hippocrates*, ſi fuerit in medio capitis apoſtema inſtar juglandis, nigrum, non dolens & molle, ſcis quod ſocius morbi hujus morietur quadrageſimo die ex morbo ejus, & ſignum hoc eſt, quod in principio morbi, ejus color mutetur.

Dixit *Hippocrates*, ſi fuerit in pectore apoſtema nigrum, ovi magnitudine, ſcis quod ſocius ejus morietur poſt tres menſes ex morbo ejus, & ſignum iſtud quod initio morbi appetat melones, accidatq; diſuria.

Dixit *Hippocrates*, ſi fuerit ſub collo puſtula & in palpebra inferiori ſiniſtri oculi puſtula alba, ſcis quod ſocius hic morbi morietur undecimo die ex morbo ejus, & ſignum illud, quod in morbi principio appetat ingenti deſiderio cibum dulcem ſeu condita.

Impletus eſt Liber *Hippocratis* Excellentis doctrinæ, qui inventus fuit in ſepulchro ejus, & Laus DEO multa, ſicut ipſe meretur, viginti quinq; demonſtrationibus.

Nolo de Authore diſputare, quem non credo eſſe *Hippocratem*, cujus ſeculo Cæſaris nomen ignorabatur, quanquam harum Prædictionum qvamplura extent veſtigia in legitimis *Hippocratis* operibus. Arabes quidem accurati fuerunt in Græcorum voluminibus conſervandis, quod ex deſideratis libris *Galeni* ultimis Anatomicarum Adminiſtrationum, quos Arabicè Mſtos apud me ejusdem *Golij* favore ſervo, videre eſt; verum ingenioſi quoq; fuerunt in ſubornandis nominibus ad majorem librorum authoritatem. Iidem Arabes felices fuerunt in exanthematibus, illorumq; prædictionibus, quod ex hoc quod damus ſpecimine liquet, ex Arabum Medicis conſuto. Propter

Digitized by Google

pter argumenti affinitatem ſubjungam Prognoſtica de ſignis mortalibus, quæ *Iſaaco* Iſraelitæ rectè adſcripſerim, à *Conſtantino* Africano Caſſanienſe Monacho cum aliis in latium tranſcripta. Extat ejuſdem codex manu exaratus Bibliothecæ olim Rantzovianæ, in Bibliotheca Doctiſſimi Medici D. *Joh. Ebelingi*, amici noſtri Roëſkildiæ, ubi hanc particulam cum aliis contuli, unde facilè utriusq; genius innoteſcet, & ex eodem cum prioribus fonte profluxiſſe apparebit. Non verò mihi, ſed interpreti, ejusq; amanuenſi, imputabit Lector, ſi quando vel ſenſus obſcurior, vel dictio Latinas aures offendat. Ita autem ille:

Ut has valetudines nullum habeant remedium, nullum quærant auctorem Medicinæ, cum hæc ſigna videris:

Capitis dolor aut tumor ſi fuerit in facie, ſi ſubito naſcitur ſine ullo dolore, & ſi in ſiniſtra manu & in pectore ſupra ſcriptus fuerit tumor, & ſi nares ſibi aſſidue ſcalper, XXIII die morietur. Freneticus, ſi amba genua roſſa facta fuerint, ſolide ipſa die morietur.

Oris vicia ſi fuerint natæ & buccæ (cum inflatione), & collo venæ quæ ſunt, exten-

tenſæ fuerint, & papulas ſuper ipſas venas ſatis rubea vel alba nata fuerit vel ſomnus tardus fuerit & lavacrum deſideraverit vel vaporem calidum, L, II die morietur.

Paſſio hæc evenit illis qui ſatis calide amant lavare. Una cui in cauſa fuit, ſi ſub lingua ei papula apparuerit ſicut eſt pediculus porcinus & lavacrum ſive vaporem deſideraverit, in ipſa paſſione morietur.

Febrientibus acutè ſi inter duos digitos manu tumor niger in modum herui viſus fuerit, & ſi dolor erit ab initio ægritudinis & lavacrum deſideraverit, III die morietur.

Stomachus cui dolurit, acutè februerit, ſi in dextro pede puſtula ei nata fuerit acerrima & nullum deſiderium habuerit, XXII die morietur.

Peripleumonico ſi ungues de pollice manus nigreſcunt & in fronte papula ſanguinea nata fuerit & ſternutaverit frequenter. VII die morietur.

Epar cui doluerit, ſi in collo ei natæ fuerint papulæ IV junctæ unius coloris & pollice pedes ei prutitus fuerit, & urina veluti ſanguinea exierit, intra ſeptem dies morietur.

Coleribus qvis laboraverit, ſi juxta umbili-

bilicum ei natæ fuerint tres papulæ in modum ciceris, una rubea, alba alia, tertia ſublivida, eadem die morietur.

Ventris dolore ſi quis fuerit tortus, & inſuper cilium ejus papula in modum avellanæ ſimilans in ſupercilio, intra ſeptem dies morietur.

Splenetico ſi papulæ multæ in ſiniſtra manu natæ fuerint & per nares ſangvis qvaſi ſpumoſus fluxerit, XII die morietur.

Sciæ dolor cum fuerit, ſi in ſiniſtra parte rubor ſpiſſus ſit ſine dolore, & olera cocta deſideraverit, XXV die morietur.

Diſſentericis ſi poſt aurem ſiniſtram papula in modum hervi nata fuerit, & ſitis freqvens fuerit, XXI die morietur, vel ſi ei ſingultus ſe fecerit.

Iterantis cauſis qvi laborant, ſi papula dura nata ei fuerit, albo colore & urina ei abundans fuerit, XX die morietur.

Sania ex quacunq; cauſa excreantibus, ſi maculæ ei natæ fuerint ſicut ſolet per omne corpus in modum fabæ Ægyptiacæ, ipſa die morietur.

Inteſtina cadens ſi cui doluerit, quod Medici radicem dicunt, & dexter cubitus

Digitized by Google

ei lividus fuerit factus, & vinum ſatis deſideraverit, qvinta die morietur.

Veſicæ dolor cui fuerit, ſi ſub axilla ſiniſtra papula marimatiari naſcitur ei & quaſi videatur graviter dormire, XV die morietur.

Urinæ difficultas cui fuerit, ſi in ſiniſtram aurem papulæ in modum lenticulæ multæ natæ fuerint, & in ipſa ægritudine oculos ſibi fortiter fricaverit, XI die morietur.

Emorrhoidas habentes ſi in plantas ejus puſtulas multas nigro colore ſuffuſas habuerit, XXIX die morietur.

Sanguinem rejicientibus ſi in gutture eis ut ordiola nata fuerint vel de ore ei ſaliva in mento deſcenderit, XX die morietur.

Puſtulas habentes aut vulnera aut fiſtulas aut ateromata, vel qualibet apoſtema ſi ſupra cervicem, aut ſuper umbilicum aut juxta cor, vel mamillam papulæ in modum lenticulæ ei natæ fuerint, & dulcem cibum deſideraverint, XI die morietur.

Digitized by Google

HIST. XXVII.

Smilax aſpera pro Carbunculis.

FOlia fructusq; ſmilacis aſperæ epota venenorum antidota vocat *Dioſcorides* l. 4. c. 144. Ruſticas mulieres, de eo ſecuras, infantibus præbere tradit *Ant. Lodovicus* l.4. de Occult. Propr. c.13. Succum acinorum laudat *Plinius* l. 24. c. 10. Alia verò eſt ſmilax apud *Æginetham* l. 5. c. 49. quæ præcipitem mortem affert, ſeu ὀξὺν θάνατον, ut in Codice meo emendavit propria manu *Cornarius*, optimè de literis noſtris meritus. *Galeno* quoq; l. 7. ſimpl. Med. Facult. venenoſæ eſt facultatis. Illa eſt ἐιπαυλίκαρπος *Theophraſto* l. 3. Hiſt. Plant. c. 18. arbores ſcandens *Plinio* l. d. radicemq; ſalſa parillam mittit, de qua diſputant *Matthiolus* in Dioſc. *Fallopius* l. de Morb. Gall. *P. Alpinus* de Plant. Ægypt. c. 43. *Dodonæus*, nuperq; *P. Caſtellus*, expurgandis venenis peropportuna. Hæc Romanorum Taxus eſt, autore *Paulo* Æginetha, jam laudato. Ex vino coctos flores ſmilacis iſtius, contra venena commendat *Jo. Leonicerus* Schol. in Dioſcor. qui tamen cum lupulo confundit, quam rectè, ipſe viderit. *Amatus Luſitanus* in Dio-

Dioſc. feminas Hiſpanicas aquam ex floribus elicere odoriferá prodidit. Pro Carbunculis ſecretum habent remedium ex foliis aſperæ ſmilacis Ruſtici Neapolitani, quod mihi retulit *Joſ. Donzellus* Neapolitanus Podalirius. Si parti affectæ folium ea facie applicetur, quæ lævis eſt & glabra, ſtatim ex tumore peccantem materiam educet. Quod ſi partem rugoſiorem & candidiorem invertas, ad interiora humorem repelles.

HIST. XXVIII.

Ira Podagricis utilis.

QVod uſu evenire ſolet illis, qui aliqua parte corporis dolentes, ſi major dolor alibi oriatur, minorem non ſentiunt; id podagrico accidit, qui aliás præ dolorum vehementia vinctus pedibus, ſi forte ſervo malè res imperatas curanti iraſceretur, quaſi expeditus illi eſſet greſſus, ſublato quo nitebatur ſcipione, ſervum veloci curſu perſequebatur, ſed regredi non valens, ab aliis ſublevatus poſtea fuit. Alius præ calculi tortura, arthritide aliás excruciatus, præ dolorum impatientia promptè ſe transferebat quo vellet. Quodvis ſubinde malum vincit

cit ira, quia aliò divertitur ſenſus, & non rarò excitatis ſpiritibus commotisq; mali cauſa diſcutitur. Croeſi filio muto id feliciter ſucceſſit apud *Herodotum*. De Paralytico, cive Arelanſe & conſobrino ſuo convulſo per iram metumq; ſanatis ſimilia exempla recitat *Valleriola* l. 2. Obſ. 4. cauſasq; fuſius ibidem perſequitur. *H. Heyden* Diſcurs. 3. convulſos vidit ſeu contractos & ambulandi impotentia deſides repentina & vehementiſſima ira concitatos, derepente ſe erexiſſe & hoſtem fugacem inſecutos, quia ſanguine ſpiritibusq; cum magno impetu ad crura translatis, impactus illis humor attenuatus fuit & diſſipatus. Nimio gaudio expeditum motum redditum arthritico *Antonius Fayus* ad *Hildanum* Cent. 1. Obſ. 79. ſcripſit.

HIST. XXIX.

Febres malignæ ex vermibus.

GRaſſabantur febres malignæ petechiales in obſidione Hafnienſi 1659 intra & extra muros. Multi, qui de dolore ventriculi conquerebantur, concitato vomitu, vermes ſpithamam longos revomuerunt,

Digitized by Google

runt, & febre extincta ad ſaniorum conſortium redierunt, quod ſæpe quoq; in Noſodochiis ſibi commiſſis obſervavit Exercitatus Medicus, & nulli ſecundus Chymicus D. *Abaſverus Payngk*. De verme admirando è dextra nare Nobilis Viri Cæſennatenſis poſt febrem acutam rejecto, legendæ Diſputationes tres apud *Vincentium Alſarium Crucium* Cent. 3. de Quæſt. per Epiſt.

HIST. XXX.

Polypus ſponte emunctus.

MAtthias quadrigarius Soceri & Conſulis urbis Ampliſſimi, magno cætera naſo præditus, polypum in naribus fovit, qui, homini laboribus aſſueto, valdè moleſtus, qvum apprehenſum emungeret, comprimeretq;, ſponte per os prodiit. Caro erat ſpongioſa & rubicunda, magnitudine & figura pyri, cum caule, quo radicis inſtar naſo in hæſerat.

HIST XXXI.

Prægnantis Symptomata.

NObiliſſima Femina Germana; curæ meæ ſubjecta, quotiens uterum gerit, qvam

qvam ſingulis annis tumentem habet, totiens primis menſibus vel lienis obſtructione & dolore, vel ophthalmiâ laborat, cum ſternutatione ſingulis diebus repetente. Hinc pro ſedanda oculorum inflammatione advocatus, non dubitavi prægnantem errhinis & ſternutatoriis ſublevare, quibus ſine damno aſſuevit. Tertio menſe cum moleſtior inſurgeret ophthalmia, veſicatoriis aliisq; collyriis nihil juvantibus, vena illi ſecta fuit, ſed manu parca ad Uncias quatuor vel quinq;, quam oculorum priſtinus vigor ſeqvutus, & integra ad partus tempus ſanitas.

HIST. XXXII.

Naphtha in genu.

PResbyterum Neapolitanum cum hoſpite meo Cl. *Severino* inviſi, cui Naphtha capitis magnitudine in dextro genu erat adnata, ſed mox ſuppurantibus & levi apertione imminuta ad pugni exilitatem. Febrem comitem habuit, mox ceſſantem, & in carpo exiguam quoq; naphtham ad incrementum nullius momenti perductam. Noluit ſectionem aut uſtionem, quam ſuaſimus,

Digitized by Google

mus,ſed à Chymico oleum ſulphuris accepit, pro emollienda & abſumenda heterogenea carne.

HIST. XXXIII.

Aſini caro ad lepram.

NEapoli cum ſubſiſterem narravit mihi *Marius Schipanus*, ſummus ibidem Medicorum, Senio & eruditione venerandus, Principem Neapolitanum Caraffam pro curanda lepra veſci ſolitum carne Aſini pulli. Alij carnem Aſininam elephantiaſin credunt provocare, inter quos *Ballonius* l. 2. Ephem. p. 187. Et *Avicenna* fen. 3. 4. tr. 3. c. 1. plurimos Alexandriæ leproſos fuiſſe ait, quia ex *Galeno* l. 1. Fac Alim. carnibus Aſinorum veſcebantur. Non dubium eſt, quin durioris ſit hæc caro coctionis, ipſo *Galeno* fatente l. 3. de Fac. Alim: At pullorum caro melior molliorq; qvam ideò per alvum citius ſecedere *Hippocrates* l. 2. de Vict. Rat. prodidit. Hac ratione forſan lepram curat, vel tenaci alimento malam labem contractam emendat. Nam & phthiſicis aſinina caro medetur, teſte *Plinio* l. 18. c. 17. Vide alia de hoc argumento apud *Bru-*

Digitized by Google

Bruyerinum l. 13. de Re cib. c. 20. *Lud. Nonnium* l.2. de Re cib. c.10. P. *Caſtellanum* l. 3. de Eſ. Carn. c. 9. *Th. Reineſium* l. 2. Var. Lect. c. 18.

HIST. XXXIV.

Sanguineus vetulæ fluxus.

NUper admodum me conſilij gratia acceſſit vidua Paſtoris religioſi, annos nata 82, robuſta & vegeta, ſed nimio ſanguinis fluxu anxia. Olim illi ante annum quinquageſimum ſubſtitere menſes. Interea ſana vixit, donec anno ætatis 77, præter ſpem fluxus menſium repeteret. Fluit verò ſanguis parcè & guttatim per biduum, quo non parum vetulæ vires franguntur, poſtea per biduum ceſſat, beneq; valet, & easdem vices redeundi ad hoc tempus ſervavit. Vitæ ſuæ & ſanitati timet, quia hujus fluxus occaſione mater, qvum annum centeſimum ſuperaſſet, occubuit. Ego bono illam juſſi eſſe animo, quia ex moderato iſto fluxu ſalus ejus dependeret, & vita, ſanguine enim adhuc abundat, tantaq; illius prioribus annis fuit copia, ut ter fœtus mortuos ediderit. Matrem verò annis gra-

vem naturæ legibus ſuccubuiſſe, ſi vel maximè fluxu iſto caruiſſet. Ut interim petitioni faverem, præmiſſis lenientibus, & ſudoriferis ob ſerum quo ſanguis ad fluxum dilutior redditur, adſtringentem pulverem & corroborantem ex terra ſigillata, cornu cervi &c. conceſſi. Ad annum 78 matronæ fluxiſſe refert *Hildanus* Cent. 2. Obſ. 61. Talis fuit *αἱμοῤῥοȣσα Matth*. 9, 20. de qua videndi *Guil. Aderus* De Morb. Evang. Enarr. 12. *Maxim. Sandæus* l. 2. Theol. Medic. comm. 32. aliiq;.

HIST. XXXV.

De Tarantula.

TArantulam Apulam vivam habuit Romæ *Henricus Corvinus* Pharmacopœus urbis peritiſſimus, araneam majuſculam magnitudine ſuperantem, ſed formâ ſimili, nigris maculis diſtinctam. Hanc acu in tergo confoſſam Dn. Thullierio Chriſtianiſſimi Regis Gallorum olim Romæ, tandem Septentrionis legato, miſit. Similem Meſſanæ vidi apud *Petrum Caſtellum* ſummum Gymnaſij iſtius Doctorem, & amicum noſtrum. Venenum ejus calidius, unde

de ſaltationem efficit, ſi quos momorderit. Id Monacho Capucino Romæ evenit, qui ab illa morſus, lætus ſemper erat, & ignarus ante artis gladiatoriæ, eo tamen paroxyſmo etiam magiſtros in arte vincere videbatur. Saltus Viti dicitur, nec aliud eſt, me judice, quam ſui generis convulſio, quam venenum induxit. De cura ejus per muſicam vide *Ant. Lodovicum* de Occult. Propriet. c. 41. *Sennertum* l. 1. Prax. part. 2. c. 17. *Kircherum* De Art. Magnetica, *Sam. Hafenrefferum* de Cutis Affect. & quæ nos De *Paralyticis* N. T. commentati olim ſumus. Ruſtici Romani puncturam curant ſcarificatione pedum & manuum, quod tamen auxilij genus cuidam morſo in cervice non profuit, unde laudatus *Caſtellus* Theriaca aliisq; ſudorem promovit & ſanitati demorſos reſtituit. Cucurbitulâ affixa ad extrahendum venenum, & ſcarificatâ parte fragor ſeu tinnitus auditur, quod non ab aëre ſed veneno deducit *Panarolus* Pentec. 5. Obſ. 44.

HIST. XXXVI.

Auris nativa occluſio.

OCtennem puerum novi Religioſi Parentis filium bonæ indolis, cui ſiniſtra

auris ab ipſa nativitate clauſa eſt & carne obturata ſine ullo foramine pervio, non malè tamen audit, ſed doloribus capitis frequentius vexatur.

HIST. XXXVII.

Coryza ſingularis.

COntinua coryza affligit nares integerrimi Viri *D. Pauli Moth*, Archiatri Regij, ætatis ingraveſcentis, ut per nares impeditâ viâ difficilis illi ſit & ſomnus & ſpiratio. Obſtructionis narium peculiaris cauſa & ratio eſt. Quotiescunq; moleſtior eſt affectus, per narium cavitatem prolabitur veſicula oblonga, rotunda, candida, ſero plena, quod exſudat. Ea verò veſicula membranoſa ſæpe in medio narium ſubſiſtit, ſæpe extra nares propendet, levi digitorum impulſu ſurſum ad caput retruditur, naresq; deſerit, ſed circa os ethmoides & olfactum & ſpirationem impedit. Evacuatur ſubinde exſtillante ſero, & liberior redit olfactus. Ex pulvere ſternutatorio ſæpe amicorum hortatu hujus coryzæ quæſivit levamen, ſed qvia majores in naribus obſtructiones nimiâ tractione catarrhi oriren-

rentur, ab illo deſtitit, unumq; dormienti remedium eſt, in oppoſito latere obſtructæ naris decubitus. Facillimum foret veſicam pendulam forfice amputare, ſi de membranulæ natura & origine conſtaret. Ad varias conjecturas mentem torſi. An proceſſus mammillares? Per Epilepſiam ad nares protruſos autor eſt *Eraſtus*, & recipiendis excrementis cerebri deſtinantur â *Whartono* l. de Adenographia. Sed quomodo oſſis ethmoidei foraminula permeabunt, niſi præter naturam cribrum hoc dilatetur amplius? At quid de olfactu dicendum? Ut in qvavis coryza, ita & hic propendentibus veſiculis, ceſſat odoratus, qui illis evacuatis redit. Taceo proceſſus facilè rumpi poſſe nimio ſero diſtentos. Polypi principium quo minus credamus, facit ſubſtantiæ diverſitas & mobilitas. An duræ matris productio vel laxatio? Id ſine inſigni doloris ſenſu haud fieret, quo tamen caret Vir optimus. An vaſorum lymphaticorum progenies? Nec color abludit, nec contentus liquor, niſi alia ſubſit cauſa. Forſan idem cum polypo generationis modus. Obſervante enim *Riolano* l. 4. Anthrop. c. 6. in cellulis oſſeis ſpongioſis carunculæ exiles continentur, quas vidit prolongatas & ad

imas nares prolapſas, ſponte verò adſtringentibus medicamentis supernè revelli. Veſiculas membranoſas ſine dubio, loco caruncularum in hoc corpore natura efformavit, quæ ſero ex catarrhoſo cerebro defluente intumeſcant.

HIST. XXXVIII.

Ilei coalitus cauſa obſtipati ventris.

IN ſchedis ſuis annotavit *Caſp. Bartholinus*, deſideratiſſimus noſter Parens, mulierem Germanam Patavij, robuſtam & corpulentam, nonnihil pinguem, ſexagenariam, nil excreviſſe per alvum ſpacio novem dierum, nec tamen clyſterem admittere voluiſſe, incidiſſe tandem in febrem malignam cum vomitu bilioſo, & tranſacto biduo obiiſſe. Aperto cadavere, pulmones ferè putridos, Epar parum Scirrhoſum & inflammatum, ventriculi tunicam interiorem inflammatam, inteſtinum Ileum in medio gangrænâ obſeſſum & putridum; ut inopinato contactu diſruptum ſit, univerſam partem ſupra ilei gangrænam interiore tunica inflammatam, ut ſupra modum venæ meſe-

meſeraicæ eſſent turgidæ, partem verò ilei inferiorem totam coaluiſſe, ut nihil hac via pertranſire potuerit. In dyſenteria coaluiſſe inteſtina, & ex alvo ſuppreſſa ſubſeqvutam mortem vidit quoq; *Jo. Rhodius* noſter Cent. 2. Obſ. 77. 82. De recto inteſtino idem obſervavit *Marc. Donatus* l. 2. Hiſt. Med. Mirab. c. 10.

HIST. XXXIX.

Monſtrum ſine brachiis.

PUlcherrimis Parentibus deformis proles nata Haffniæ meâ memoriâ. Carebat brachiis, quorum locum ſolus digitus ſupplebat. Pedes ſine digitorum diſcrimine ſolidi & carnoſi. Oculi ex fronte eminebant. Statim à nativitate natum monſtrum morte & terrâ expiabatur.

HIST. XL.

Oſſa mollia.

VEl nativa imbecillitate, vel morbo ſuccedente, oſſa à ſolita duritie nonnunquam deflectunt. Prioris exemplum habet

imas nares prolapſas, ſponte verò adſtringentibus medicamentis ſupernè revelli. Veſiculas membranoſas ſine dubio, loco caruncularum in hoc corpore natura efformavit, quæ ſero ex catarrhoſo cerebro defluente intumeſcant.

HIST. XXXVIII.

Ilei coalitus cauſa obſtipati ventris.

IN ſchedis ſuis annotavit *Caſp. Bartholinus*, deſideratiſſimus noſter Parens, mulierem Germanam Patavij, robuſtam & corpulentam, nonnihil pinguem, ſexagenariam, nil excreviſſe per alvum ſpacio novem dierum, nec tamen clyſterem admittere voluiſſe, incidiſſe tandem in febrem malignam cum vomitu bilioſo, & tranſacto biduo obiiſſe. Aperto cadavere, pulmones ferè putridos, Epar parum Scirrhoſum & inflammatum, ventriculi tunicam interiorem inflammatam, inteſtinum Ileum in medio gangrænâ obſeſſum & putridum, ut inopinato contactu diſruptum ſit, univerſam partem ſupra ilei gangrænam interiore tunica inflammatam, ut ſupra modum venæ meſe-

Digitized by Google

meſeraicæ eſſent turgidæ, partem verò ilei inferiorem totam coaluiſſe, ut nihil hac via pertranſire potuerit. In dyſenteria coaluiſſe inteſtina, & ex alvo ſuppreſſa ſubſeqvutam mortem vidit quoq; *Jo. Rhodius* noſter Cent. 2. Obſ. 77. 82. De recto inteſtino idem obſervavit *Marc. Donatus* l. 2. Hiſt. Med. Mirab. c. 10.

HIST. XXXIX.

Monſtrum ſine brachiis.

PUlcherrimis Parentibus deformis proles nata Haffniæ meâ memoriâ. Carebat brachiis, quorum locum ſolus digitus ſupplebat. Pedes ſine digitorum diſcrimine ſolidi & carnoſi. Oculi ex fronte eminebant. Statim à nativitate natum monſtrum morte & terrâ expiabatur.

HIST. XL.

Oſſa mollia.

VEl nativa imbecillitate, vel morbo ſuccedente, oſſa à ſolita duritie nonnunquam deflectunt. Prioris exemplum habet

Foreſtus l. 17. Obſer. 15. de filio A Leida de Renes,qui natus eſt cum brachio dextro à cubito uſq; ad humerum non tantum reſoluto, ſed omnino oſſe non coagulato, ut brachium inſtar lori in omnem partem flexile flaccidumq; conciderer. Naturæ conſultiſſimus *Olaus Wormius* qvum olim in patria Academia nobis ſceleton demonſtraret, teſtabatur ſe vidiſſe puellam in Noſodochio Arhuſienſi, quæ pedes, crura & femora obtinuerat in qvamvis partem flexibilia, cartilaginibus oſſium vices ſupplentibus, ut incedere non poſſet, ſed ope manuum,natibusq; quocunq; vellet,perreptaret,valdè ingenioſa,& tunc temporis XXX annorum. Similem novit *Hollerius* Obſ. 7. Vi morbi nimiâ humiditate emollita oſſa inſtar ceræ obſervavit *Fernelius* l. 2. de Abd. Rer. Cauſ. c.9. Alij in Elephantiaſi idem notant. Imaginariam mollitiem deſcribit *Tulpius* Medicorum ſplendor l. 1. Obſerv. c. 18.

HIST. XLI.

Dejectio cruenta ſalutaris.

Nobilis Danus conquerebatur de inappetentia & ſtomachi ſubverſione. Initio

tio aliquoties bilem viridem evomuit, & circa dorſum dolorem contundentem ſentiit. Urina erat crocea, & colore ſubrubeo ex flavo langueſcente induſium tingebat, facieſq; ad flavedinem declinabat. Repetitis ex Electuario de ſucco Roſarum & Diaphœnico purgationibus meliuſculè poſt XII dierum lapſum habere viſus eſt, & cibum appetere. Sed nimiâ fiduciâ aëri commiſſus & ambulando nimium defatigatus, quia hepatis & venarum meſaraicarum laborabat obſtructionibus, recidivam paſſus eſt. Conſultus *Tancredus Lælius*, exercitatus urbis noſtræ pridem Medicus, ter exhibuit Decoctum radicum Aſparagi, unde per alvum quater ſanguinem excrevit, & egregiè convaluit. Ab hæmorrhoidibus promanaſſe id ſuadere videbatur, quod nulla ventris tormina ſenſiſſet. Novi & ego unum alterumve in obſtructionibus meſenterij largius cruorem per aliquot dies ſine torminibus dejicere & valdè ſublevari, quanquam initio fluxus ſibi à dyſenteria metuant, ſive is ex hæmorrhoidibus internis, ſive aliis vaſis meſenterij ſe exonerantibus profluat.

HIST. XLII.

Venæ ſectionis tempus in Tertiana.

COnſulunt non pauci ut primo quoq; tempore in Tertiana intermittente ſecetur vena, potiuſq; ante ſecundum paroxyſmum quam poſtea, quia ſubeſſe metum credunt, ne febris neglecta in continuam degeneret, & vires interea decreſcant. Sed nimis hic properandnm non eſt, quia minus periculi, & fervens bilis prioribus diebus leniter evacuanda. Cavendum igitur in Tertianis, ne primo inſultu, aut poſt primum ſtatim paroxyſmum ſectio venæ inſtituatur, differt enim tum ſanguis nihil à ſano, & poſtea V. S. iteranda erit ubi ad univerſam ſanguinis maſſam diffuſa fuerit intemperies calida, quod iis non ita commodum accidit, qvi vel plethorâ nullâ onerantur, vel debiliores ſunt. Obſervatum id in febre Tertiana paucis ab hinc annis in urbe noſtra ſæviente, primis ſtatim venæſectionibus emiſſum ſanguinem ſanorum ſimilem apparuiſſe, nullo ægrorum emolumento, poſt ſecundum verò vel tertium inſultum ſaluti fuiſſe. Ante tertium paroxyſmum

xyſmum in Tertiana incidi venam, vetat quoq; *Fr. Joel* tom. 5. Oper. Sect. 2. Trahunt huc nonnulli invitum *Galenum* l. 11. Meth. c. 5: Sed, qvanqvam ex Methodicorum ſententia loqui videatur, nihil poſt tertium de vena ſecanda affert, ſed de nutrimento, ſicut optimè quoq; advertit *Ballonius* l. 2. Ephem.

HIST. XLIII.

Caput tumidum fuſtibus.

AD fœniſicium extra urbem noſtram prodierat ſagittarius Nobilis cujuſdam anno qui hunc præceſſit. Ruſtici verò camporum domini & fœni poſſeſſores prædam ulturi tam ſplendide & cordatè fuſtibus & bidentibus hominem exceperunt, ut ſemi mortuus ad ſuburbium Hafnienſe à ſociis ſit reportatus. Et quia per noctis ingruentis tenebras urbis portæ clauſæ Chirurgorum operam denegaverant, Symptomata per noctem ita invaluere ut ſummo mane advocatus ex urbe Chirurgus Wilhelmus ipſum omnis ſenſus, loquelæ & rationis expertem cum capite tumido & tuberoſo offenderet. Tot malorum cauſas inveſtigaturus,

Digitized by Google

runt, & febre extincta ad ſanorum conſortium redierunt, quod ſæpe quoq; in Noſodochiis ſibi commiſſis obſervavit Exercitatus Medicus, & nulli ſecundus Chymicus D. *Ahaſverus Payngk*. De verme admirando è dextra nare Nobilis Viri Cæſennatenſis poſt febrem acutam rejecto, legendæ Diſputationes tres apud *Vincentium Alſarium Crucium* Cent. 3. de Quæſt. per Epiſt.

HIST. XXX.

Polypus ſponte emunctus.

MAtthias quadrigarius Soceri & Conſulis urbis Ampliſſimi, magno cætera naſo præditus, polypum in naribus fovit, qui, homini laboribus aſſueto, valdè moleſtus, qvum apprehenſum emungeret, comprimeretq;, ſponte per os prodiit. Caro erat ſpongioſa & rubicunda, magnitudine & figura pyri, cum caule, quo radicis inſtar naſo inhæſerat.

HIST XXXI.

Prægnantis Symptomata.

NObiliſſima Femina Germana, curæ meæ ſubjecta, quotiens uterum gerit,

qvam

qvam ſingulis annis tumentem habet, toties primis menſibus vel lienis obſtructione & dolore, vel ophthalmiâ laborat, cum ſternutatione ſingulis diebus repetente. Hinc pro ſedanda oculorum inflammatione advocatus, non dubitavi prægnantem errhinis & ſternutatoriis ſublevare, quibus ſine damno aſſuevit. Tertio menſe cum moleſtior inſurgeret ophthalmia, veſicatoriis aliisq; collyriis nihil juvantibus, vena illi ſecta fuit, ſed manu parca ad Uncias quatuor vel quinq;, quam oculorum priſtinus vigor ſeqvutus, & integra ad partus tempus ſanitas.

HIST. XXXII.

Naphtha in genu.

PResbyterum Neapolitanum cum hoſpite meo Cl. *Severino* inviſi, cui Naphtha capitis magnitudine in dextro genu erat adnata, ſed mox ſuppurantibus & levi apertione imminuta ad pugni exilitatem. Febrem comitem habuit, mox ceſſantem, & in carpo exiguam quoq; naphtham ad incrementum nullius momenti perductam. Noluit ſectionem aut uſtionem, quam ſuaſimus,

mus,ſed à Chymico oleum ſulphuris accepit, pro emollienda & abſumenda heterogenea carne.

HIST. XXXIII.

Aſini caro ad lepram.

NEapoli cum ſubſiſterem narravit mihi *Marius Schipanus*, ſummus ibidem Medicorum, Senio & eruditione venerandus, Principem Neapolitanum Caraffam pro curanda lepra veſci ſolitum carne Aſini pulli. Alij carnem Aſininam elephantiaſin credunt provocare, inter quos *Ballonius* l. 2. Ephem. p. 187. Et *Avicenna* fen. 3. 4. tr. 3. c. 1. plurimos Alexandriæ leproſos fuiſſe ait, quia ex *Galeno* l. 1. Fac Alim. carnibus Aſinorum veſcebantur. Non dubium eſt, quin durioris ſit hæc caro coctionis, ipſo *Galeno* fatente l. 3. de Fac. Alim: At pullorum caro melior molliorq; qvam ideò per alvum citius ſecedere *Hippocrates* l. 2. de Vict. Rat. prodidit. Hac ratione forſan lepram curat, vel tenaci alimento malam labem contractam emendat. Nam & phthiſicis aſinina caro medetur, teſte *Plinio* l. 18. c. 17. Vide alia de hoc argumento apud *Bru-*

Bruyerinum l. 13. de Re cib. c. 20. *Lud. Nonnium* l. 2. de Re cib. c. 10. P. *Caſtellanum* l. 3. de Eſ. Carn. c. 9. *Th. Reineſium* l. 2. Var. Lect. c. 18.

HIST. XXXIV.

Sanguineus vetulæ fluxus.

NUper admodum me conſilij gratia acceſſit vidua Paſtoris religioſi, annos nata 82, robuſta & vegeta, ſed nimio ſanguinis fluxu anxia. Olim illi ante annum quinquageſimum ſubſtitere menſes. Interea ſana vixit, donec anno ætatis 77, præter ſpem fluxus menſium repeteret. Fluit verò ſanguis parcè & guttatim per biduum, quo non parum vetulæ vires franguntur, poſtea per biduum ceſſat, beneq; valet, & easdem vices redeundi ad hoc tempus ſervavit. Vitæ ſuæ & ſanitati timet, quia hujus fluxus occaſione mater, qvum annum centeſimum ſuperaſſet, occubuit. Ego bono illam juſſi eſſe animo, quia ex moderato iſto fluxu ſalus ejus dependeret, & vita, ſanguine enim adhuc abundat, tantaq; illius prioribus annis fuit copia, ut ter fœtus mortuos ediderit. Matrem verò annis gra-

vem naturæ legibus ſuccubuiſſe, ſi vel maximè fluxu iſto caruiſſet. Ut interim petitioni faverem, præmiſſis lenientibus, & ſudoriferis ob ſerum quo ſanguis ad fluxum dilutior redditur, adſtringentem pulverem & corroborantem ex terra ſigillata, cornu cervi &c. conceſſi. Ad annum 78 matronæ fluxiſſe refert *Hildanus* Cent. 2. Obſ. 61. Talis fuit αἱμοῤῥοοῦσα *Matth*. 9, 20. de qua videndi *Guil. Aderus* De Morb. Evang. Enarr. 12. *Maxim. Sandæus* l. 2. Theol. Medic. comm. 32. aliiq;.

HIST. XXXV.

De Tarantula.

TArantulam Apulam vivam habuit Romæ *Henricus Corvinus* Pharmacopœus urbis peritiſſimus, araneam majuſculam magnitudine ſuperantem, ſed formâ ſimili, nigris maculis diſtinctam. Hanc acu in tergo confoſſam Dn. Thullierio Chriſtianiſſimi Regis Gallorum olim Romæ, tandem Septentrionis legato, miſit. Similem Meſſanæ vidi apud *Petrum Caſtellum* ſummum Gymnaſij iſtius Doctorem, & amicum noſtrum. Venenum ejus calidius, unde

de ſaltationem efficit, ſi quos momorderit. Id Monacho Capucino Romæ evenit, qui ab illa morſus, lætus ſemper erat, & ignarus ante artis gladiatoriæ, eo tamen paroxyſmo etiam magiſtros in arte vincere videbatur. Saltus Viti dicitur, nec aliud eſt, me judice, quam ſui generis convulſio, quam venenum induxit. De cura ejus per muſicam vide *Ant. Lodovicum* de Occult. Propriet. c. 41. *Sennertum* l. 1. Prax. part. 2. c. 17. *Kircherum* De Art. Magnetica, *Sam. Hafenrefferum* de Cutis Affect. & quæ nos De *Paralyticis* N. T. commentati olim ſumus. Ruſtici Romani puncturam curant ſcarificatione pedum & manuum, quod tamen auxilij genus cuidam morſo in cervice non profuit, unde laudatus *Caſtellus* Theriaca aliisq; ſudorem promovit & ſanitati demorſos reſtituit. Cucurbitulâ affixa ad extrahendum venenum, & ſcarificatâ parte fragor ſeu tinnitus auditur, quod non ab aëre ſed veneno deducit *Panarolus* Pentec. 5. Obſ. 44.

HIST. XXXVI.

Auris nativa occluſio.

OCtennem puerum novi Religioſi Parentis filium bonæ indolis, cui ſiniſtra

auris ab ipſa nativitate clauſa eſt & carne obturata ſine ullo foramine pervio, non malè tamen audit, ſed doloribus capitis frequentius vexatur.

HIST. XXXVII.

Coryza ſingularis.

COntinua coryza affligit nares integerrimi Viri *D. Pauli Moth*, Archiatri Regij, ætatis ingraveſcentis, ut per nares impeditâ viâ difficilis illi ſit & ſomnus & ſpiratio. Obſtructionis narium peculiaris cauſa & ratio eſt. Quotiescunq; moleſtior eſt affectus, per narium cavitatem prolabitur veſicula oblonga, rotunda, candida, ſero plena, quod exſudat. Ea verò veſicula membranoſa ſæpe in medio narium ſubſiſtit, ſæpe extra nares propendet, levi digitorum impulſu ſurſum ad caput retruditur, naresq; deſerit, ſed circa os ethmoides & olfactum & ſpirationem impedit. Evacuatur ſubinde exſtillante ſero, & liberior redit olfactus. Ex pulvere ſternutatorio ſæpe amicorum hortatu hujus coryzæ quæſivit levamen, ſed qvia majores in naribus obſtructiones nimiâ tractione catarrhi orirenren-

rentur, ab illo deſtitit, unumq; dormienti remedium eſt, in oppoſito latere obſtructæ naris decubitus. Facillimum foret veſicam pendulam forfice amputare, ſi de membranulæ natura & origine conſtaret. Ad varias conjecturas mentem torſi. An proceſſus mammillares? Per Epilepſiam ad nares protruſos autor eſt *Eraſtus*, & recipiendis excrementis cerebri deſtinantur â *Whartono* l. de Adenographia. Sed quomodo oſſis ethmoidei foraminula permeabunt, niſi præter naturam cribrum hoc dilatetur amplius? At quid de olfactu dicendum? Ut in qvavis coryza, ita & hic propendentibus veſiculis, ceſſat odoratus, qui illis evacuatis redit. Taceo proceſſus facilè rumpi poſſe nimio ſero diſtentos. Polypi principium quo minus credamus, facit ſubſtantiæ diverſitas & mobilitas. An duræ matris productio vel laxatio? Id ſine inſigni doloris ſenſu haud fieret, quo tamen caret Vir optimus. An vaſorum lymphaticorum progenies? Nec color abludit, nec contentus liquor, niſi alia ſubſit cauſa. Forſan idem cum polypo generationis modus. Obſervante enim *Riolano* l. 4. Anthrop. c. 6. in cellulis oſſeis ſpongioſis carunculæ exiles continentur, quas vidit prolongatas & ad

Digitized by Google

imas nares prolapſas, ſponte verò adſtringentibus medicamentis ſupernè revelli. Veſiculas membranoſas ſine dubio, loco caruncularum in hoc corpore natura efformavit, quæ ſero ex catarrhoſo cerebro defluente intumeſcant.

HIST. XXXVIII.

Ilei coalitus cauſa obſtipati ventris.

IN ſchedis ſuis annotavit *Caſp. Bartholinus*, deſideratiſſimus noſter Parens, mulierem Germanam Patavij, robuſtam & corpulentam, nonnihil pinguem, ſexagenariam, nil excreviſſe per alvum ſpacio novem dierum, nec tamen clyſterem admittere voluiſſe, incidiſſe tandem in febrem malignam cum vomitu bilioſo, & tranſacto biduo obiiſſe. Aperto cadavere, pulmones ferè putridos, Epar parum Scirrhoſum & inflammatum, ventriculi tunicam interiorem inflammatam, inteſtinum Ileum in medio gangrænâ obſeſſum & putridum, ut inopinato contactu diſruptum ſit, univerſam partem ſupra ilei gangrænam interiore tunica inflammatam, ut ſupra modum venæ meſe-

meſeraicæ eſſent turgidæ,partem verò ilei inferiorem totam coaluiſſe, ut nihil hac via pertranſire potuerit. In dyſenteria coaluiſſe inteſtina, & ex alvo ſuppreſſa ſubſeqvutam mortem vidit quoq; *Jo. Rhodius* noſter Cent. 2. Obſ. 77. 82. De recto inteſtino idem obſervavit *Marc. Donatus* l. 2. Hiſt. Med. Mirab. c. 10.

HIST. XXXIX.

Monſtrum ſine brachiis.

PUlcherrimis Parentibus deformis proles nata Haffniæ meâ memoriâ. Carebat brachiis, quorum locum ſolus digitus ſupplebat. Pedes ſine digitorum diſcrimine ſolidi & carnoſi. Oculi ex fronte eminebant. Statim à nativitate natum monſtrum morte & terrâ expiabatur.

HIST. XL.

Oſſa mollia.

VEl nativa imbecillitate, vel morbo ſuccedente, oſſa à ſolita duritie nonnunquam deflectunt. Prioris exemplum habet

Foreſtus l. 17. Obſer. 15. de filio A Leida de Renes, qui natus eſt cum brachio dextro à cubito uſq; ad humerum non tantum reſoluto, ſed omnino oſſe non coagulato, ut brachium inſtar lori in omnem partem flexile flaccidumq; concideret. Naturæ conſultiſſimus *Olaus Wormius* qvum olim in patria Academia nobis ſceleton demonſtraret, teſtabatur ſe vidiſſe puellam in Noſodochio Arhuſienſi, quæ pedes, crura & femora obtinuerat in qvamvis partem flexibilia, cartilaginibus oſſium vices ſupplentibus, ut incedere non poſſet, ſed ope manuum, natibusq; quocunq; vellet, perreptaret, valdè ingenioſa, & tunc temporis XXX annorum. Similem novit *Hollerius* Obſ. 7. Vi morbi nimiâ humiditate emollita oſſa inſtar ceræ obſervavit *Fernelius* l. 2. de Abd. Rer. Cauſ. c. 9. Alij in Elephantiaſi idem notant. Imaginariam mollitiem deſcribit *Tulpius* Medicorum ſplendor l. 1. Obſerv. c. 18.

HIST. XLI.

Dejectio cruenta ſalutaris.

Nobilis Danus conquerebatur de inappetentia & ſtomachi ſubverſione. Initio

tio aliquoties bilem viridem evomuit, & circa dorſum dolorem contundentem ſentiit. Urina erat crocea, & colore ſubrubeo ex flavo langueſcente induſium tingebat, facieſq; ad flavedinem declinabat. Repetitis ex Electuario de ſucco Roſarum & Diaphœnico purgationibus meliuſculè poſt XII dierum lapſum habere viſus eſt, & cibum appetere. Sed nimiâ fiduciâ aëri commiſſus & ambulando nimium defatigatus, quia hepatis & venarum meſaraicarum laborabat obſtructionibus, recidivam paſſus eſt. Conſultus *Tancredus Lælius*, exercitatus urbis noſtræ pridem Medicus, ter exhibuit Decoctum radicum Aſparagi, unde per alvum quater ſanguinem excrevit, & egregiè convaluit. Ab hæmorrhoidibus promanaſſe id ſuadere videbatur, quod nulla ventris tormina ſenſiſſet. Novi & ego unum alterumve in obſtructionibus meſenterij largius cruorem per aliquot dies ſine torminibus dejicere & valdè ſublevari, quanquam initio fluxus ſibi à dyſenteria metuant, ſive is ex hæmorrhoidibus internis, ſive aliis vaſis meſenterij ſe exonerantibus profluat.

xyſmum in Tertiana incidi venam, vetat quoq; *Fr. Joel* tom. 5. Oper. Sect. 2. Trahunt huc nonnulli invitum *Galenum* l. 11. Meth. c. 5: Sed, qvanqvam ex Methodicorum ſententia loqui videatur, nihil poſt tertium de vena ſecanda affert, ſed de nutrimento, ſicut optimè quoq; advertit *Ballonius* l. 2. Ephem.

HIST. XLIII.

Caput tumidum fuſtibus.

AD fœniſicium extra urbem noſtram prodierat ſagittarius Nobilis cujuſdam anno qui hunc præceſſit. Ruſtici verò camporum domini & fœni poſſeſſores prædam ulturi tam ſplendidè & cordatè fuſtibus & bidentibus hominem exceperunt, ut ſemi mortuus ad ſuburbium Hafnienſe à ſociis ſit reportatus. Et quia per noctis ingruentis tenebras urbis portæ clauſæ Chirurgorum operam denegaverant, Symptomata per noctem ita invaluere ut ſummo mane advocatus ex urbe Chirurgus Wilhelmus ipſum omnis ſenſus, loquelæ & rationis expertem cum capite tumido & tuberoſo offenderet. Tot malorum cauſas inveſtigaturus,

turus, veſtigia quidem fuſtium varia per univerſum corpus invenit, ſed vulnus nullum, niſi exile prope ſuturam ſagittalem. Igitur hoc vulnus, cum reliquo capite, collo & pectore, quæ partes injurias colonorum præ aliis exceperant, oleo roſaceo tepido procuravit, & ſacculos ex cephalicis capiti impoſuit. Tertio die facies prætumida, frons, naſus & palpebræ veſiculis refertæ, quæ ſubſeqvuturæ gangrænæ indicia eſſe ſolent. His forcipe apertis & linimento Ægyptiaco inunctis, cum necdum ſymptomata remitterent, ſectio in parte capitis vulnerata, conſilio D. Mothi, fuit inſtituta. Nocte ſequenti quies rediit ſomnusq;, mane verò aliqua loquendi & rationis poteſtas, cujus antea uſu caruerat. Septimo die dilatato per Chirurgum vulnere pus copioſius cœpit manare, & ſic deinceps cum perfecta loquela & ratione ſanitas præter omnium ſpem fuit reducta.

HIST. XLIV.

Puer caudatus.

PArens noſter, cujus ſanctam colimus memoriam, puerum in Fionia natum retulit

tulit caudam habuiſſe, ex productis auctisq; numero oſſibus cartilaginibusq; coccygis oſſis. Alibi in India naſci homines cauda villoſa pernicitatis eximiæ, ſcribit *Plinius* l.7 c. 2. Et in regno Lambri homines inveniri refert *Paulus Venetus* l. 5. Itin. c. 18, qui caudas habent ut canes longitudinis unius palmi, eosq; non in civitatibus, ſed montibus habitare. Sed monſtris illa verius annumeranda, ſicut narrat *Cardanus* l. 18. De ſubtil. p. m. 646. in ſaltu Hamesbergio Miſniæ anno ſalutis M D X X X I inventum monſtrum humanum, ſubflavum, barbatum, dorſi ſumma parte & ſylveſtri crurum, quæ illi humana erant, & brachiorum ſolum piloſum, pronum & caudatum. *Fortunius Licetus* l. 1. de Monſtr. c. 13. cum *Alberto Magno* feras has de Simiarum genere fuiſſe exiſtimat; in aliis verò monſtroſis partubus quomodo cauda excreſcere poſſit, docet l. 2. de Monſtr. c. 83. Optat *Arnobius* l. 5. adv. Gentes, videre patris illius DEorum Jovis ex parte poſtica caudam. Quare homo ordinaria naturæ lege careat caudâ, ſecus ac alia animalia, demonſtrat *Ariſtoteles* in Problematis. In Inſula Bornea Indiæ Orientalis naſci hodie genus quoddam hominum caudatum

tum

tum bona fide retulit redux Chirurgus *Cl. Harvejo* de Gen. Anim. Exerc. 5. è quibus ægrè captam virginem ipſe vidit cum caudâ carnosâ, craſsâ, ſpithamæ longitudine intra clunes reflexa, qua anum & pudenda operiebat.

HIST. XLV.

De Potu poſt medicamentum.

FRigidam aquam poſt ſumptum medicamentum purgans, ſtatim ſuperbibendam, quorundam fuit ſententia, de qua extant diſceptationes *Jo. Bapt. Sylvatici* & *Phil. Ingraſſiæ*. Idem in ſeptentrione introducere non ita pridem conatus eſt *Petrus Bourdelotius*, ingenioſus Medicus Pariſienſis & felix opinionum novarum propugnator, quod exinde augeri promoveriq; medicamenti vim crederet, & impediri medicamentorum malignitatem. In amici ſententiam conſentire vel eo nomine non potui, quod apud Boreales noſtros non ita ferveat ventriculus, ut ſumpto medicamento opus ſit refrigerio, potius calidum potum ſvaderemus, quem ſolemus poſt horam unam vel alteram exhibere ſi ſegnior ſit medicinæ

næ virtus. Alia medicinæ faciendæ ratio apud Gallos, Italos, Græcos, calidos ſiccosq;, alia apud Germanos, Danos, Svecos, quorum calorem humor, præſertim Scorbuticus, temperat. Quanquam & Marſilius Landrianus Epis copus ob potum gelidi intempeſtivum, dum purgaretur, ægrotarit, apud *Andr. Argolum* l. de Decub. Ægr. p. m. 126. In calido igitur ſiccoq; ventriculo frigidæ potus forſan opportunus, ut diluatur medicamentum, & fluxile reddatur. In his tamen ſatius eſſet medicamenta ipſa fluida propinare, quam dura. Eſt & alia cauſa, cur medicamentis durioribus ſumptis, potio debeat ſuperaddi, nempe ut vis eorum per ſe univerſalium, ad certam deſideratamq; partem quaſi manu ducatur. Quo conſilio electivè purgantibus ſuperbibatur aqua hirundinum, ſi caput expurgare ſtet ſententia, & ita in cæteris, quod Medicum magnæ experientiæ factitaſſe apud nos memini.

HIST. XLVI.

Conchæ Anatiferæ Majores.

De conchis hiſce varia tradunt & commentantur Authores, in primis Re-

rum

Digitized by Google

rum Britannicarum ſcriptores. Non vacat ſingulos excutere. Videndi de his *Lobelius* fin. Obſerv. F. *Licetus* l. 3. de ſpont. viv. ort. c. 47. *Mich. Majerus* l. de Volucr. arbor. c. 3. *Sennertus* Hypomnem. 2. c. 8. *Wormius* l. 3. Muſ. c. 7. Omnes unius generis tantum meminerunt, quod minus, per algam adhæret annoſis carinis vel aliis lignis, ex quibus primum exordium & nutrimentum attrahit. Hæ conchæ minores triquetræ ſunt, foris læves, colore ex albo cœruleæ. C. *Hofmannus* rubram concham ſeu ſanguineam dicit l. 2. Var. Lect. c. 29, ut Philoſophum explicet. Quatuor utplurimum valvis conſtant, duabus minoribus totidemq; majoribus, algæ connaſcuntur, qua parte ſeparantur, apertæ oſtendunt pennicularum avium rudimenta. Mihi aliud genus majus ad manus eſt, quod Viro Eruditiſſimo *D. Otthoni Sperlingio* refero acceptum. Qvum ex Norwegia ad urbem noſtram tenderet, in mari Norwagico copiosè fluitantes has conchas vidit, & ſecum ad nos detulit, quas nuſquam deſcriptas inveni. Majores ſunt conchæ, binis pleræq; valvulis compreſſæ, qvas in acuta parte connectit tertia appendix incurva & concava, cui ſimilem in minoribus quoq; vidi, aliis

aliis neglectam & omiſſam. Foris ſtriatæ, obliquis ſtriis. Subſtantia tenuis, ut capſulæ meæ incluſæ, ſint emollitæ. Ternæ plerunq; conchæ ſociantur, adhærentq; rotundæ matrici albæ & molliori, quaſi ſpongioſæ, qua vel pro ligamento vel nutrimento utuntur. Ad hunc orbem, unaqvæq; concha pedunculum mittit. Intus eadem rudimenta reconduntur, quæ avium in minoribus creduntur eſſe pennæ, unde Anates Scotici, Gallis *macreuſe*, oriantur. Ea omnium Doctorum eſt ſententia. Mihi ſemper viſæ ſunt conchæ ſui generis, non aviũ feraces ſed ſui generis vel inſectorũ vel vermiculorũ, ſicut pro concharum aliarum varietate varia animalcula recondi obſervamus, in buccinis cancellos, in balanis & tubulis vermiculos. Rudimenta interiora vix referre poſſunt avium pennas. Univerſam concham replent, ut pro capite reliquoq; corpore parum ſuperſit. Quod caput eſſe debet, rotunda eſt portio quaſi muſcæ majoris. Certe pennæ avium in ovis ſuis parciores cernuntur, & in excluſis magis excreſcunt. Quantum accuratiori oculo & microſcopio aſſequi potui, videntur potius cancelli cujusdam vel aranearum pedes, ſubtili lanugine eleganter & certo ordine

S diſtin-

diſtincti, hirſuti, ut ſicut in buccinis, ita & in his conchis non Anates, ſed cancellos ſui generis enaſci ſit vero ſimilius. Veros inde prodire anates pro commento quoq; habet *Cluſius* in Auct. Exotic. partim quia nemo ſit inventus qui auſus fuerit aſſerere ſe vidiſſe vivam & omnibus modis abſolutam avem ex maſſa illa teſtacea evaſiſſe; (quanquam avis anati ſimilis in Muſæo Imperati nobis Neapoli cum conchis monſtrata ſit.) Partim quod navigationes Batavorum ad novam Zemblam & fretum Naſſovicum teſtentur, illas aves, quas ex conchyliis prodiiſſe alii credunt, in ſcopulis incubuiſſe ſuis ovis. Nec *Harvejus* l. de Gen. Anim. pro vera propriæ gentis narrationem admittit. In opinione antea præconcepta exinde confirmor, quod inter Muſæi arcana ſervem conchas minores algæ connexas, inter quas una concha prægnans aliam ex ſe profert & valvis apertis excludit, quo judicio perfectæ ſuiq; generis conchæ ſe tueri poſſunt, quæ alias ejuſdem ſpeciei conchas generant. Utriusq; generis conchas in ſubjecta tabella ſculptor expreſſit.

Figu-

Digitized by Google

pag. 275.

Fig. I.





Fig. 2.



Digitized by Google

Figura I. Conchas anatiferas majores repreſentat.

a. Centrum.
bbb. Ipſæ conchæ tres clauſæ.
ccc. Vas umbilicale.
d. Concha aperta.
e. Pennarum una, ea magnitudine & forma, qua per microſcopium obſervavimus.

Figura II. Vulgares conchas minores indicat.

fffff &c. Ipſæ conchæ minores.
ggg.&c. Vaſa earundem umbilicalia.
h. Concha prægnans.

HIST. XLVII.

Mammariorum & Epigaſtriorum Vaſorum conſenſus.

VAriat in his vaſis Natura. Nonnunquam conjunguntur mutuis oſculis. Sæpius tamen diviſa obſervavi. De quo alibi actum. Inſignis utriusq; vaſis conſenſus in hernioſo ſtudioſo eluxit, qui quotiens arctius vinculum pro Hernia in ab domine

Digitized by Google

ſtringeret, totiens dextra mamma in tumorem magnum attollebatur, qvi moleſtus, non prius detumuit, quam laxaretur vinculum.

HIST. XLVIII.

Curatio morborum per menſurationem.

INter vulgus noſtrum familiaris eſt affectus, quem Moerſoet vocant, ad quem omnes pene morbos ſuos revocant. Si nomenclaturam inſpiciamus, morbum uteri denotat, quem pro ventriculo paſſim confundunt & utriq; ſexui communem volunt. Ignorantiæ verò Anatomes adſcribenda partium non toleranda confuſio. Inappetentiam intelligunt, quocunq; ventriculi vitio ortam, ſive in morbis ſive poſt morbos, & exinde emergentem atrophiam. Vulgus tam in curatione morbi hujus, quam cognitione errat. Pro curanda affectione ea remedium advocant ab omni ratione alienum, & verè ſuperſtitioſum, quò velut ad ſacram anchoram confugiunt. Methodus iſta vulgi in corporis menſuratione conſiſtit. Filum ſumunt ejus longitudinis

dinis qua corpus ægri eſt, & metiuntur illo corpus, expanſo ſecundum longitudinem à capite ad calcem, & ſecundum latitudinem ab utraq; manu. Si filum utriusq; amplitudini reſpondet, ſanitatem prædicunt, ſin deficiat in hoc vel illo menſuræ modo, illius partis morbum prænunciant, cujus eſt defectus. Hinc conceptis verbis, velut exorciſmo, ſacris tamen & devotis, morbum aggrediuntur & geſticulationes addunt. Digna non ſunt, quæ hic apponantur. Quanquam enim ſacra ſint verba quæ proferunt, tamen exigua eſt verborum in curandis corporis affectibus vis, quam etiam Annales ſacri ignorant. Invenio hujus menſurationis ſparſa alibi veſtigia. *Conſtantini Cæſaris* l. 19. Geopon. c.2. eſt conſilium, ut canis humida arundine à capite uſq; ad caudam menſuretur, ne fugiat. *Bellonius* l. 1. Obſ. c. 52. Syderocapſæ vidit ſuperſtitioſum hoc remedium. Turca enim quidam, Judæum ſplene laborantem curare volens, ejus menſuram ſupra alvum excepit charta, quam ad novellam juglandem deferens, ex ipſius cortice tantundem excidit, quanta erat ſplenis chartacea menſura: deinde obmurmuratis plurimis verbis atqs ceremoniis quibusdam peractis, ad

Digitized by Google

Judæum regreſſus, corticem ejus alvo impoſuit; deinde filo trajectum è camino ſuſpendit, Judæo affirmans ejus malum diminutum iri, prout cortex exſiccaretur. Ad transplantationem hæc referenda, de quibus olim egimus, & alia poſt paulò addentur. Cephalalgiæ ſpecies, apud Bavaros das Hauptḣör dicta, ſuperſtitioſa creditur, unde certis ceremoniis menſuratur caput & circumligatur, teſte *Wolfgango Hœfero* tom. 1. Med. Loc. commun. l. 1. c. 3. Circumligatio verò ſuperſtitioſa non eſt, nam compreſſo capite ſedantur non rarò dolores capitis. Et in hyſtericis nihil ligaturâ utilius, quam ſuperſtitioſis menſuræ ritibus auxerunt aniculæ plebejæ.

HIST XLIX.

Monſtrum Triceps.

PUblica fama ad nos pertulit, natum in urbe Sileſiæ Drachenberg A. C. 1652, die 22 Aprilis, monſtrum horrendum capite triplici, cujus pater fertur ſutor, nomine Johannis Stein, mater verò Catharina. Medium caput lupinum erat, lingua exſerta ſurſum ſpectans. Dextrum rubicundum, ſineq;

Digitized by Google

ſineq; cute cruentum, humano quidem ſimile, ſed ſceleto ſimilius. In ſiniſtro facies humana clarius emicuit, ſed occipiti & reliquo capiti adnata erat carnea maſſa rotunda & dura, qua ſurſum elata, in fronte oſſicula cernebantur, velut in coronis thori, eminentia. Medium caput naturali conſuetoq; loco ſitum, dextrum verò ſiniſtrumq; ſui lateris axillæ inhærebat, vultubus ad ſe converſis invicem. Manus cute denudatæ viſebantur cruentæ, & hinc inde crucis ſignaturæ rubicundæ pectori femoriq; adſperſæ. Præſente urbis Senatu, fertur væ inclamaſſe, futuras mortes prædixiſſe & cœli tempeſtates, moxq; expiraſſe.

HIST. L.

Suffocationis uteri remedium.

PRiapus & cervi & tauri juſto æſtus tempore exſectus ſingulare ſecretumq; in ſuffocatione uteri & colica remedium ſubminiſtrat. Pro Hyſterica ita procedendum. In ipſo paroxyſmo pulveris quantum cultri apex capit in cereviſia calente vel aqua appropriata exhibe bibendum. Niſi fallit experientia, brevi ſedabitur affectus. Ad

præcautionem, novem orbiculi exinde abſcindendi, & terni globuli ſuo linteo involuti imponantur potorio ſcypho, ex quo per hebdomadas ter bibat ægra, ab alio potu interea abſtinens. Eo remedij genere quamplurimæ deſperatæ ſanitatis, & colicâ paſſione miſerè excruciati ad ſe redierunt. Certo enim tempore animalibus œſtro percitis, magnus æſtuansq; fervor membro genitali imprimitur, quo calore affectus dicti, à flatib⁹ & frigida intemperie orti, ſedantur, Sive quod ſtipticitate ſua ſanguinem figant & cohibeant, ſive quod diaphoreſin promoveant, idq; ex novis de Hyſterica paſſione principiis, quæ nuper Exercitatione nova c. 5. ingenioſus *Highmorus* induxit. Ingentem huic priapo calorem ſupereſſe, Veterinariorum experimento diſcimus. Si enim tauri ad coitum torpeſcunt, caudam cervinam urunt & conterunt, vinoq; lævigatâ pudendum tauri atq; teſticulos ungunt, & confeſtim vel ad inſaniam uſq; pruriet taurus in venerem, nec finem libidini faciet quam oleo inungatur. Quod non in tauris duntaxat, ſed cæteris quoq; animalibus, ipſoq; hominum genere ſimiliter uſu venire poſſe teſtantur. De pudendo taurino colico dolori appropriato legendus *Zacutus*

l. 2.

l. 2. Prax. adm. Obſ. 24. Roſmari membri virtutes nos deſcripſimus *Cent.* 2. *Hiſt.* 43.

HIST. LI.

Manus ignem perferens.

S*Axo* noſter l. 10. c. 65. memorat Regni Daniæ incolas ad fidem Chriſtianam per Dominum Poppium converſos innoxiè ignitam chirothecam attrectantem, eoq; medio poſtea lites omnes ſublatas. De quo miraculo, quod *Ordelium* vocarunt noſtri, alij fidem faciunt, citati *Stephanio* Not. in Saxon. Magnus noſter *Wormius* l. 1. Monum. Danic. c. 11. fuſius ex patriæ antiquitatibus morem hunc perſequitur, & quando deſierit *Jo. Loccenius* l. 2. Antiq. Suec. Gothic. c. 7. eruditè exponit. *Sophocles* in Antigone docet, innocentiæ quoq; olim indicium fuiſſe igniti ferri contactum: Omitto Græca:

> In hoc parati tangere ardentes ſumus
> Maſſas, per ignes ire, jurare aut DEos,
> Nos hujus eſſe nec reos, nec conſcios:

Candente lamina viduam Comitis Mutinenſis coram Otthone Tertio mariti innocentiam comprobaſſe, Annales referunt.

Antiquorum teſtimonia congeſſit *Fr. Juretus* ad Epiſt. Ivonis Epiſcopi Carnutenſis 74. *Hugo Grotius* Annot. ad l. 1. de Verit. Rel. & *Hier. Jordanus* de div. in Morb. c. 26. qui hanc ἀναισθησίαν in ſanctis Patrum teſtimonio confirmat. Miracula antiquorum non damno, quibus vel DEus vel Dæmon interfuit. Circumforaneos tamen vidi, qui fuſum plumbum, inunctâ prius clam manu, exciperent innoxiè. Alij althea, portulaca, mercuriali ſe muniunt, ſive cauſa ex frigiditate, ſive lentore, ſive ex occulto principio dependeat, de quo diſputant *Coſtæus* de univ. ſtirp. natur. l. 1. c. 25. l. 2. c. 24. *Jo. Rud. Camerarius* Cent. 10. Mem. Med. partic. 94. Alios novi quibus ob cutem manus calloſam moleſtum non eſt ignitos carbones contrectare, ſicut nonnulli ob eandem cauſam ferventiſſima juſcula ſorbent. Duæ illæ Æthiopiſſæ apud *P. Servium* l. de Ungu. Arm. quæ carbones igneos attrectare, geſtare, continere & propemodum extinguere poterant, laboribus ſine dubio craſſum manibus callum induxerant. *Busbequius* Epiſt. 4. de Turca ſacerdote ſcribit, quod manum injecerit ferro quod in foculo ad eum uſum accenſo candens erat factum, idq; ori quoq; inſertum omnem

omnem in partem aliquamdiu verſaſſe, non ſine ſalivæ ſtridore. Putat tamen aliquo medicamento ſibi os adverſus ignis violentiam præmuniviſſe, nam in foro Veneto vidit circulatorem, plumbum igne liquefactum contrectaſſe eoq; ſine offensâ tanquam manus lavaſſe.

HIST. LII.

Moſchatus odor Crocodili, piſcis, Hominum.

AUtor eſt *Jul. Cæſ. Scaliger* Comm. in Ariſt. Hiſt. Anim. l. 2. c. 118. multos eſſe in America & India Crocodilos, qui paſſim eſitentur vitulinæ carnis ſapore, at quæ moſchum redoleat. De ovis ejúſdem, & adipe genitalium verum moſchum redolente ex Anonymo Auctore de Rebus Hiſpaniolæ teſtatur *Jo. Euſeb. Nierenbergius* l. 12. Hiſt. Nat. c. 5. Addit idem, juxta Crocodilorum fauces inveniri glandulas fabarum magnitudine, moſchum ſuaviſſimè ſpirantes, quæ febres ſedant & extinguunt: hicq; odorem ſui emittere moſcho vel caſtoreo redolentiorem. Ex *Fr. Ximene* hoc repetit Jo. *de Laet* l. 5. Ind. Occid. Deſcript.

c. 4.

c. 4. Duos præterea folliculos ſiliquarum inſtar fragrantiſſimo moſcho refertos inter poſteriores pedes Crocodili Jamaici publico gazophylacio Oxonienſi prope ſplendidam Bibliothecam Bodlejanam nuperis annis à Generali Angliæ Protectoris dono dati, qvum eviſceraretur repertos, ex Capitanei Lichtfootij literis mihi retulit P. *Schumacherus*, ingenio & eruditione ætatem ſupergreſſus. Teſtes ſiccatos moſchum redolere ex Cl. *Veſlingio* reſcivit *Rhodius* ad Scrib. Comp. 14.

In Lombardia inventus pridem piſcis tanta odoris ſvavitate, ut Zibethum referret, manusq; tangentium & quævis vicina odore fragrante inficeret, qui mortuo piſce evanuit. In diſſecti piſcis veſica ater humor repertus, velut loliginis ſuccus, quo velut atramento ſcriptorio uſus eſt in libro ſatis vaſto deſcribendo P. *Abrianus* Soc. JEſu, Romæ amicus. Ex hominum corporibus odorem fragrantem emanaſſe hiſtoriæ teſtantur. De Alexandro Magno notum eſt, ejusq; cadavere, quod etiam de Leonardo Donato Principe Venetiarum refert in ejus vita *Andreas Maurocenus* pag. 39.

HIST.

HIST. LIII.

Tranſplantatio morborum in animalia.

PLuſcula exempla ſupra contulimus Cent. 3. Obſ. 66. de mira morborum tranſplantatione, quæ ut confirmentur alia ſuperaddam. *Conſtantinus Cæſar* eandem laudat l. 13. Geoponic. c. 9. & l. 15. c. 1. ubi Apuleji & Democriti experientias recitat. *Apulejus* ait, ſi quem ictu Scorpio impetierit, in caudam converſus aſino inſideat, pro eo aſinum ipſum dolere & pedere. *Democritus* etiam aſſerit, ſi ictus à Scorpione ſtatim nunciat aſino, Scorpio percuſſit me, eum haud amplius laboraturum, dolore nempe ipſo in aſinum tranſiliente. Tranſplantationis inprimis capaces ſunt canes, quia calor illis robuſtus, quo ex corpore alieno facilè attrahitur noxia materia. In catello Mileſio Avi noſtri Materni, quem jam alit in ædibus ſuis Avunculus meus ſuſpiciendus *M. Jacobus Finckius* Phyſ. P. P. & Academiæ noſtræ Senior, evidentius hæc patuit trahendi facultas. Colico dolore torquebatur Avunculus. Canis ventri impoſitus qvum incaluiſſet, urgebat exitum, vomuit

muit vehementer, & tormina Colica Avunculi remiſerunt. Ancilla ejuſdem in dolore dentium eundem canem genis appoſuit, ſenſitq; levamen, ſed canis dolorum impatientia hinc inde curſitare & latrare. Idem expertus eſt ſcribā in colli tumore. Podagram mire levari teſtatur *P. Borellus* Cent. 3. Obſerv. Phyſ. Med. 28, ſi catelli cum podagrico recumbant, morbum enim canes contrahere ut vix incedere queant, ægro levato. In infirmioribus & tenerioribus animalibus citius ſuccedere credit idem. Ego verò duarum cauſarum hic concurſum deſidero. Attrahentis animalis calorem, & morboſi corporis effluvia, niſi tertiam addere placuerit, occultam animalium potentiam, quæ pro individuorum varietate eſt diverſa, ſæpius tamen illis animalibus fortius ineſt, quæ cottidiana conſuetudine & ciborum ſimilitudine hominibus ſociantur. De Maſſilienſibus ſcribit *Servius* in Virgil. quotiens peſtilentia laborabant, unum ex pauperibus ſe obtuliſſe alendum anno integro publicis & purioribus cibis. Hunc poſtea ornatum verbenis & veſtibus ſacris circumductum per totam civitatem cum exſecrationibus, ut in ipſum reciderent mala civitatis, & ſic projectum.

Hart-

Hartmannus in Pract. Chymiat. author eſt, ovum cum urina ægri coctum formicis expoſitum curare Atrophiam & febrem. *Jo. Agricola* tr. 5. Chir. Parv. fæcibus ægri, loco incantato applicitis, & mox in veſica ſuilla fumo expoſitis, per triduum ægrum reſtituit. Pro Quartana hoc habet *Fr. Joel* Tom. 5. Sect. 2. remedium, ut urina patientis in paroxyſmo reddita & cum farinæ q. ſ. ſubacta, & in maſſam redacta & in clibano panis modo cocta, famelico cani, maſculo quidem ſi maſculus eſt æger, & femellæ ſi femina, exhibeatur comedendaq; præbeatur, idq; ter aut quater reiteretur, patientem enim ita liberari à febre, ſed laboraturum canem.

HIST. LIV.

Pulvis pro dentibus.

SCorbutico vacillabant dentes, quaſi ſedibus ſuis moti, gingivarum carne nimium luxuriante, ut dentes ferè obruerentur, tegerenturq;, vitio ſtomachi quoq; nigricantes. Omnibus hiſce deformitatibus tollendis, commodè & ex voto ægri non unius, ſequentem pulverem dentifricium mun-

mundandis dentibus, firmandisq; & putridis ſcorbuti vitiis corrigendis peropportunum deſtinavi:

R. Fol. Aquileg.
Cort. rad. Cappar.
Sem. Cochlear. ana Unciam ſemis.
Rad. Ireos
Aluminis uſti ana drachm. tres.
Mandibul. Lucij piſcis,
Corall. alb.
Cornu Cervi uſti an. Drachm. duas.

Pulverizentur ſubtiliſſimè, & irrorentur cum ol. caryophyll. q. ſ. m. f. *Pulvis* in ſcatula.

HIST. LV.

Ventriculus in thorace ſitus.

VUlnerato diaphragmate in thoracis cavitatem prorupiſſe ventriculum vidit *Paræus*. Similem hiſtoriam ad *Fabricium Hildanum* perſcripſit Cl. *Sennertus*, Obſ. Chir. Cent. 2. Obſ. 33. de Heinrico Buſcherhovio, cui propter vulnus diaphragmatis, ventriculus totus adſcenderat in ſiniſtrum thoracis latus, & cor cum capſula de ſede ſua

Digitized by Google

ſua depulerat in dextrum latus. Apud *Riverium* Cent. 4. Obſ. 67. dextri pulmonis deficientis locum occupaverat ventriculus per naturam. Mira res, ſed nec exemplo carens. Studioſo enim cuidam Andreæ von Bergen Suſato-Weſtphalo, hic ſitus ventriculi erat naturalis à prima conformatione, de cujus morbo & rara viſcerum conſtitutione Celeberrima Academia Lipſienſis in Programmate ibidem edito VIII Cal. April. 1659. hanc deſcriptionem ſignavit, quam transmiſit *Jacobus Henricus Paulli* magni Patris haud degener filius, diſcipulus olim meus, & Anatomes ſtudio aptus, qui ſectionem cadaveris inſtituit: Ante decendiũ obſtructiones quaſdam ſenſerat, ex quibus ſumma ventriculi debilitas ob denegatam excrementorum ejectionem, & varia ſymptomata, graves ſingultus & infiniti propemodum vomitus exorti, quibus ita viribus fuit fractus, ut in lectum conjiceretur. Quamvis autem remediis tum internis, tum externis huic malo itum fuerit obviam, effectu tamen ſuo caruerunt, præſertim cum ventriculus, quicquid recepiſſet, ſtatim ejiceret. Nocte tandem proximum diem ſolis antecedente vomitus τὸν μακαρίτην ſic afflixerunt, ut per os & nares

materia cruenta certatim eruperit, ipſumq;, præcluſo penitus exitu, ſuffocaverit.

Abdomine aperto, qvum moles pingvedinis, tres tranſverſos digitos ei inſtratæ impedimento eſſet, quò minus ad conſuetam ventriculi ſedem, quæ eſt ſub diaphragmate inter Epar & lienem, pervenire liceret, placuit prius aperire Thoracem. Vix remotum erat ſternon, ubi in ſiniſtro latere corpus quoddam glanduloſum ſe nobis in conſpectum daret, quod primo quidem intuitu pro Pulmone depravato habebatur, ſed mox Omentum eſſe, ac ſub eo latitare ventriculum, cunctis qui præſto aderant, obſtupeſcentibus, deprehenſum eſt. Ad pleniorem hujus præternaturalis ventriculi ſitus cognitionem, ſejungebantur inteſtina à Meſenterio, cum quibus ita comparatum erat: Duodenum cum portiuncula ſubſtrati Pancreatis è Thorace proveniens, per peculiare foramen (in ſiniſtro itidem latere, amplum & nerveo circulo circumſcriptum) Diaphragma perreptabat, cumq; reliquis inteſtinis continuatum erat uſq; ad colon, quod ex abdomine per dictum foramen in Thoracem tranſiens, ibidem cum Omento, cui firmiter erat annexum, ventriculi fundum in duas quaſi partes dividebat,

bat, ac rurſus miro anfractu deorſum tendens, atq; eadem viâ, ex eodem diaphragmatis rediens foramine, inteſtinum rectum, longum ſatis ac gracile, & conſpicuis rectis transverſisq; præditum fibris conſtituebat. Epar inſolitæ craſſitiei ac magnitudinis, ut ſcilicet ſpacium deficiente ventriculo expleret, diaphragmati erat annatum. Ipſe autem ventriculus in thorace, cætera liber, inferiori parte, ligamentis aliquot membranoſis diaphragmati & pleuræ circa coſtas ſpurias adhærebat, ſuperiori claviculas ferè attingebat, ſiniſtrumq; latus planè occupaverat, ita ut vix minimæ ſiniſtri Pulmonis particulæ locus ſupereſſet, Cor verò de ſede ſua in dextrum latus depulerat, & dexter pulmo cordi cedens ſub eodem ſpinæ dorſi adjacebat. Oeſophagus ad diaphragma progrediens os ventriculi nonnihil deprimebat, ut non longe à Pyloro diſſideret. Exſecto demum ventriculo cum annexis partibus, lienem qui principio nullibi apparebat, in propria capſula, quam duplicatura diaphragmatis in ſiniſtro latere formaverat, invenimus, ſanum aliàs, ſed lividum & exilem, ac per vas breve ventriculo conjunctum. Diaphragma totum erat carnoſum. Poſtremo etiam liberum materiæ ex

Digitized by Google

ventriculo patere exitum, eandemq; ex inteſtinis, ob hiatum relaxati Pylori pleno impetu remeare poſſe advertimus, qui quum incideretur, ingens vis ſcaturientis materiæ exinde profluxit, unde ab opere deſiſtendum fuit, neq; temporis ratio ferebat nos ſectioni diutius immorari.

HIST. LVI.

De Ave Paradiſiaca.

DE Manucodiatis fusè egerunt *Geſnerus*, *Aldrovandus*, *Nierenbergius*, *Jonſtonus*, ſed omnes in eo falluntur, quod apodes credant. Primus *Pigafeta* pedes adſtruxit, & poſt eum *Cluſius* in Auctar. Exotic. Ego cum pedibus elegantes aves poſſideo, quarum unam Clariſſimo noſtro *Wormio* ſubmiſi, diligenter poſtea ab eodem viro deſiderato deſcriptam & delineatam l. 3. Muſæi c. 17. De filis binis ex dorſo excreſcentibus ea commentantur authores, quæ mihi non placent. Sutorio filo haud plane diſſimilia apud *Geſnerum* l. 3. de Avib. *Guilandinus* dixit, & eum inſeqvuti *Aldrovandus* l. 12. Ornithol. c. 21. *Beſlerus* in Gazophyl. Rer. Natural. neq; exactè rotunda nec perfectè angu-

angulata, ſed figura inter quadratum & rotundum media. Setis equinis comparat *Cluſius*. Si oculo accurato videantur, pennæ ſunt avis, quæ prope dorſum in exortu plumas habent longiores, poſtea ſenſim decurtatas, ut vix compareant, ſunt tamen & ibidem curtæ per totam pennæ longitudinem & viſu & tactu conſpicuæ. Singulare eſt in avium Paradiſiacarum Rege, qvem deſcribit & depingit *Cluſius* in Auctar. p. 362. & *Nierenbergius* l. 10. Hiſt. Nat. c. 13. quod harum pinnarum ſeu pennarum extremitates ad unciæ longitudinem in orbem convolutæ ſint, ab uno duntaxat latere tenuiſſimis villis præditæ, pronâ parte coloris viridis ſaturi ſplendentis. Ut vel hinc ex pennarum genere eſſe conſtet. Vidi hunc Avium Regem ſplendidiſſimum, ſed minorem, in Technicotheca Auguſta maximi Regis noſtri Dn. FRIDERICI TERTII, quo nihil elegantius. Hinc uſus filorum ab auctoribus traditus vileſcit. Nam quia pedes habent, filis non utuntur ut ramis arborum adhæreant, & ob pinnarum denſitatem moleſtior eſſet amplexus in femellis delicatioribus. Adhæc in omnibus, quas vidimus, fila illa propendent, niſi ſolos mares ad nos deferri dicamus.

HIST.

HIST. LVII.

Cancer capiti nocens.

CElebres ſunt cancri marini in Medicina uſus. Illuſtriores tamen in Re Cibaria. Novi tamen feminam haud vulgaris conditionis, quæ totiens capitis dolores experitur, quoties in cibis cancris marinis utitur. Externæ figuræ & internæ ſignaturæ ſi quid tribuendum, non malè capitis externi rotunditatem, & cerebri anfractus ſinusq; cum membranis cancer rotundus marinus refert.

HIST. LVIII.

Felis antipathia.

TAm infenſæ erant Nobili Dano feles, ut non viſas quoque averſaretur. Forte ad cœnam opipare inſtructam ab amico vocatur, & inter alia fercula in clauſa paropſide felis includitur. Nauſeabat illi dictum factum ſtomachus, & ſudore diffluens felem alicubi deliteſcere divinavit. Aperta inde paropſide viſoque felis capite, tam excanduit, ut inflicta hoſpiti alapa, (erat

enim

Digitized by Google

enim incredibili robore corporis, ut ferrum velut plumbum flecteret) morte jocum compenſarit. Alius Nobilis qvum in juventute antipathiâ feles ferre non poſſet, in ſenectute adeò familiares habuit, ut ſine illis dormire non poſſet, adeò magnum temperamentorum mutationem ætas infert.

HIST. LIX.

Caro lateris ablata & reſtituta.

AB itinere Braſileenſi ad nos redux Chirurgus haud vulgaris experientiæ, & juſſu Regio à nobis examinatus, ſanctâ fide aſſeveravit, ictu tormenti ablatam eſſe nauclero in navi, qua vehebatur, magnam carnis portionem in ſiniſtro hypochondrio, ut hiatu manifeſto viſcera interiora illæſa paterent; ſe verò carne vervecinâ, quæ forte ad manus erat, læſum locum repleviſſe, & hac Chirurgia Curtorum hominem reſtituiſſe. Mirum tale vulnus habet P. *Borellus* Cent. 3. Obſ. 20. nec abſimile Cl. *Harvejus* De Gen. Animal. ſed diſpar utriusque medendi methodus.

HIST. LX.

Pediculus marinus.

PEdiculus marinus deſcribitur à *Geſnero* l. 4. Aquatil. & accuratius à Magno noſtro *Wormio* l. 3. Mus. c. 2. ille videlicet qui in Iſlandico mari reperitur, ſæpiusque ad nos per mercatores Iſlandicos adfertur. Meretur contemplationem venter pediculi, qui loco inteſtinorum ſubſtantiam continet cartilagineam, quæ exempta tandem in lapidis duritiem ſolidatur. Succinum prima fronte refert & colore & perſpicuitate. Color enim in meis, quos Muſæum habet, & citrinus & niger, & pallidus. Perſpicuitas perit indurato corpore. Figura refert ipſum pediculum, inciſuras habet quaſdam, velut veſtigia impreſſa amplexantium pedum. Uſus apud Iſlandos eſt ad felicem piſcaturam, &, ſi deglutiatur, ut voti compotem reddat illum, qui aliquid optaverit.

HIST. LXI.

Ex imaginatione natus.

QVanta imaginationis in conceptione ſit vis, experiebatur illa, quæ viſa atten-

tentius Æthiopis effigie in cubiculo appenſa, fœtum concepit ediditq; Æthiopis colori ſimilem. Non ignorabat vim hujus Patriarcha Jacobus Gen. 30, 38. variegatis bacillis in potu ovium expoſitis, de quo, præter antiquos, videndus *Joh. de Mey* Comm. Phyſ. part. 1. §. 24. Idem artificium imitantur Mulomedici noſtri, qui variis pro lubitu coloribus tabellam depictam ante oculos equarum detinent, quando ab equis ineuntur, ut tali pilo hinnulos edant, qualem quiſq; deſideraverit. Ita & præcipit *Conſtantinus Cæſar* l. 16. Geopon. c. 20. ut aſinus inſiliens aut eqvus, aut aliquod animal aliud, tali amiciatur ſtragulo, quali fœtum volumus naſci colore tinctum: Siquidem qualis fuerit color operimenti, quo tegitur admiſſum animal, talis futurus eſt partus.

Sola verò imaginatione ſine virili ſemine concipi & naſci infantem, ſupra naturæ ordinariæ legem eſt. Molam quidem in Virginibus ex imaginatione generari poſſe, exemplis probat *Horſtius* Pater Obſervat. Poſt. p. 71. Ulterius verò proceſſit imaginationis, ſi Dis placet, fertilitas. Nam in Galliis mulier quarto poſt mariti abſentiam anno, ſolius imaginationis vi concepiſſe

Digitized by Google

piſſe fertur, filiumq; enixa hæredem bonorum paternorum, qui pro legitimo renunciatus fuit publica ſententia Parlamenti Gratianopolitani, Medicorumq; nonnullorum Montiſpeſſulanorum judicio. Hiſtoria ipſa, quia prorſus nova & inuſitata, gallico idiomate edita eſt Pariſiis 1637. In gratiam illorum quibus latina placent, non gravabor ex gallico huc translata referre:

Memorabilis Sententia Parlamenti Gratianopolitani

In cauſa Matronæ cujusdam, quæ filium peperit ſine viro quatuor poſt ejus abſentiam annis, ſine alterius viri conſuetudine.

In cauſa Adriani de Montleon Domini de Forge & Charoli de Montleon, Domini de Bourgleſmont, camerarij Regij, accuſatorum & autorum libelli ſupplicis 25 Octobris exhibiti, eo directi, ut filius Dnæ Magdalenæ d' Auvermont, uxoris Hieronymi Auguſti de Montleon, Equitis, domini de Aiguemere, quem utero geſtabat, ſpurius renunciaretur mariti prædicti, atq; ita ipſi legitimi hæredes pronunciarentur & ſucceſſores prædicti domini de Aiguemere. Et ab altera parte Magdalena de

de Auvermont citata, libellus ſupplex exhibitus à Claudio de Auvermont domino de Marſaigne, filij hujus Emanuelis, nempe jam nati, tutore, interveniente dicta domina de Avermont cum Domino Gilberto Malmont, Advocato hujus curiæ, tanquam ſubrogato tutore & curatore dicti Emanuelis ab altera parte. Viſis momentis ſententiæ à qua appellatum eſt, item libello ſupplice dicti de la Forge & Bourgleſmont, inter reliqua prætendente quod plus quam quatuor anni ſint elapſi ex quo dictus dominus de Aiguemere uxorem ſuam dictam Magdalenam de Auvermont carnaliter cognoverit, ſiquidem dictus maritus Capitaneus fuerit ſub Chiliarcha Greſenſault. In defenſionem dictæ d' Avermont continebatur confeſſio ejus facta coram judicio Merlinot Graphiarij hujus curiæ, aſſerens quanquam verè dictus dominus d' Aiguemere non redierit ex Germania, nec ipſa eum viderit aut cognoverit carnaliter quatuor annis; nihilominus veriſſimum eſſe, quod dicta domina d' Auvermont ſibi in ſomniis imaginata præſentiam & complexus mariti ſui Dni d' Aiguemere, ſenſerit eadem conceptionis & ingravidationis accidentia, quæ alias potuiſſet ſentire ex vera mari-

mariti præſentia, affirmans poſt abſentiam mariti ſui, quatuor annorum ſpacio, nullum ſe habuiſſe commercium cum ullo Viro, nihilominus tamen concepiſſe dictum Emanuelem, quod credit eveniſſe ſola imaginationis virtute, quocirca reſtitutionem honoris cum expenſis repetiit.

Viſis præterea informationibus teſtium Dominæ Elizabethæ Daubriche, uxoris Domini Ludovici de Pouranal, Domini de Boutange; Dominæ Ludovicæ de Naccard, uxoris Caroli Daubert, Domini de Defuinages, Mariæ de Salles, viduæ Ludovici Grandſault, Equitis, Domini de Vernouf, & Germanæ d' Orgenal, viduæ defuncti Ludovici Daumont Conſiliarij quondam Regis, & Theſaurarij generalis in camera rationum hujus urbis; Et ex teſtimoniis inde emergentibus, quod tempore ordinario conceptionis, ante nativitatem dicti Emanuelis, eadem Domina d' Auvermont illis ſit confeſſa quod habuerit eadem accidentia & ſigna graviditatis ſine commercio ullius Viri, ſed poſt fortem imaginationem concubitus cum marito, ventrem intumuiſſe. Idem teſtimonium ulterius confirmabat, quod ſimilia pati poſſint feminæ, & ſibi eadē contigiſſe, concepiſſeq; infantes, quos

feli-

feliciter enixæ ſunt, quod evenit ex certa conjunctione imaginaria cum maritis ſuis abſentibus, ſine vera copulatione carnali.

Viſis etiam teſtimoniis Guilhelmæ Garniere, Lodovicæ d' Aittront, Petræ Chauffage & Mariæ Laumand, Matronarum & Obſtetricum, idem confirmantibus & aſſerentibus de facto fieri poſſe ea de quibus eſt quæſtio; Et lectis etiam certificationibus & atteſtationibus Magiſtri Ludovici Sardiné, Petri Meraude, Jacobi Gaſſie, Hieronymi de Reviſin & Leonardi de Belleval Medicorum Monſpeſſulanorum: facta informatione de vita, moribus & communi fama Dominæ d' Auvermont per Procuratorem Regium generalem, & his etiam coram auditis & juramento confirmatis:

Viſa concluſione Procuratoris Regij, omnibus conſideratis, curia reſpectum habens ad dictas affirmationes, certificationes & atteſtationes matronarum & Medicorum in præſcripta propoſitione nominatorum, rejecit & hiſce rejectas vult Dominorum de la Forge & Bourgleſmond petitiones, judicans dictum Emanuelem eſſe & declarari filium legitimum & hæredem verũ Domini de Aiguemere. Qua ſenten-

ten-

Digitized by Google

tentia, dicta curia injungit dictis Dominis de la Forge & Bourglesmont, ut prædictam Dominam d' Auvermont habeant pro femina honeſta & pudica, hujusq; proclamationis formulas ad curiam mittant intra tres dies ab inſinuata hac ſententia, non obſtante abſentia dicti Domini d' Aiguemere ab illis allegata, aut aliis rebus propoſitis in contrarium per ſupradictos Dominos de la Forge & Bourglesmont, qui non tenebuntur ad expenſas in cauſa principali, & ad appellationem, habito reſpectu ad utriuſq; partis conditiones. Actum in Parlamento 13. Febr. 1637.

Sic poſt collationem Subſignavit

Robertin.

DE fide hujus relationis dubitavi ſemper, placuit tamen ueris inſerere, ut grata varietate prodeſſem. Conſului Monſpelii amicos, inprimis *Petrum Sanchium* Medicinæ ibidem Regium Profeſſorem & amicum probatum, qui pro fabulâ habuit à nebulonibus confictа quæſtus gratia. Conſultus quoq; *D. Delord* Prof. Med. Monſpelienſis à Nobili de Montrabbe Præſidente Primo Parlamenti Tholoſani, ut judicium

um ſuum proferret de ſententia Parlamenti Gratianopolitani, publico ſcripto ſuſpectam reddidit hujus hiſtoriæ fidem, quia mulier ſine ſemine virili concipere non poteſt, omnium Medicorum conſenſu, & ſexus diſcrimen à Natura factum foret ſupervacaneum, ſi mulier ſola ad generationem ſufficeret. Ad authoritates Medicorum allegatorum, (quos tamen credo confictos) obſtetricum, Matronarum & Parlamenti reſpondet, primò Medicos Juniores advocatos fuiſſe & ſententiam rogatos, neutiquam Seniores. Deinde Obſtetricum ſcientiam & profeſſionem ad partum, non conceptum ſe extendere. Tertiò, Matronas amicas juvenculas facilè à ſeniore Matrona d'Auvermont perſuaſas & deceptas. Quartò, Parlamentum in Saturnalibus, ne defamaretur familia Aiguemeriana ipſaque Magdalena ſuſpectæ redderetur pudicitiæ, ſententiam pro illa pronunciaſſe. Igitur pro legitimo non habendum Emanuelem, quia ex Conſtitutionibus Imperatorum undecimus menſis ad ſummum pro legitimo partus termino æſtimetur. Rarò certè evenit, ut duodecimo, tertiodecimo, decimoquarto, ſequentibusque menſibus legitimus naturaliſque infans naſcatur, de quibus

bus *Caranza* Hiſpanus Ictus de Part. Nat. & Leg. c. 15, (qui ſine viro conceptionem nullam fieri demonſtrat) *Arniſæus*, aliique egerunt fuſius. *Horat. Augenius* l. 2. de Hom. Part. c. 27. partus duorum annorum meminit. Ad quartum verò annum nativitatis terminum extenſum, nunquam meminimus. An imaginatio id poſſit, non docuit *Fienus*, & mirum niſi plures Emanueles ex virginum ſomniis prodeant, ſicut ſimile quid evenit Tenſæ virgini Veronenſi apud *Nicium Erythræum*. In Siam ſues ſine mare generant, teſte *Mandeſloo* in Itin. Ind. & in Hiſpania equæ vento concipiunt, ſi credimus nonnullis, quod tamen de conceptus celeritate rectius acceperis. Sine ſemine virili Servatorem mundi conceptum, Spiritus Sancti fuit opus, quod mortalium nemo imitari poterit, fruſtra in hanc miraculorum ſcenam prorumpente Magdalena.

HIST. LXII.

Gingivarum tumor ingens.

VEnuſtiſſimæ puellæ Hafnienſi octenni dextra gingiva intumuit inferioris maxillæ,

xillæ, quæ incrementum indies cepit. Videbatur Scirrhoſus tumor. Rectè verò æſtimanti; non Epulis, nec Parulis, ſed ipſius oſſis erat apoſtema, quod tactu durum, maxillares dentes extruſit. Omnibus in caſſum tentatis, quod nec ſectione nec cauteriis ullis cederet, tandem exinde tumor in illam excrevit magnitudinem, ut ingenti pondere extra os propenderet, viamque cibis interciperet, qui liquida forma per contorti oris latera debebant inſtillari. *Paræo* l. 7. c. 4. non abſimilis tumor viſus, ex carie oſſis & carne in cartilagineam oſſeamque ſubſtantiam vetuſtate induratus. Meminit etiam ingentis tumoris ſcirrhoſi in ore nati, & tandem uſtione exempti *Amatus Luſitanus* Cent. 5. Curat. 99. Prorſus huic ſimile eſt tuberculum illius mulieris Batavæ in ſiniſtra maxilla ubi genuini dentes oriri ſolent, quod ſenſim augeſcens in tantam molem extuberavit ut totam buccam diſtenderet, quaſi Cynico Spaſmo detentam, apud *Bald. Ronſſeum* Epiſt. Medicinal. 7. Vide etiam *Hechſtetterum* Decad. 6. Caſ. 6. *Sennertum* de Morb. Colli. Alveolos dentium caries ſubinde occupat, ex gingivarum fiſtula. Omiſit hoc *Aquapendens* in Operat. Ejus tamen Patavij exemplum apud *P. Marchettum*

V habui-

habuimus in nobili Viro, cui primo dens erutus, deinde fiſtula ad os uſque ſeu dentis alveolum exciſa, tandem alveolus nudatus carne abradebatur.

HIST. LXIII.

De Verme Aquatico Norwegiæ.

OLaus Magnus l. 21. c. 37. Vermem in littoribus Norwegiæ deſcribit glauci coloris, longitudine XL cubitorum & amplius, vix ſpiſſitudinem infantis brachij habentem, quem ſe vidiſſe teſtatur. *Geſnerus* de Aquat. eadem repetit. Multa etiamnunc narrantur ab incolis Norwegiæ de verme inuſitatæ magnitudinis, qui in fluviis marisq; ſinubus ſubinde conſpicitur, magnamq; mutationem creditur portendere. De nuperrimo verme ibidem viſo ex Dn. Nicolai Gramij, Paſtoris Landenſis in Norwegia literis XXVI Januar. 1656 ſcriptis hæc accepimus:

Ex Gulbrandi Hougsrud, & Olai Andreæ relatione in eluvione præteriti Autumni, ſtupendæ magnitudinis vermis aquaticus viſus eſt in lacu Spærilen qui creditur antea eſſe viſus in Mios apud Waldos, & delitu-

lituiſſe interea in fluvio Bang. Sed ubi ad marginem hujus Bangi perveniſſet, in ſiccum prorupit, emenſusq; iter terreſtre ad Spærilen usq;, ad quoſcunq; aggeres alliderer, videbatur quaſi ingens navis malus pertranſiret, obviæ arbores everſæ & tuguria quæcunqs tranſeunti occurrebant, ingenti ſibilo & terribili boatu omnes terrebat. In Spærilen pleriq; piſces vel ab eo fugati vel devorati. Incolæ Odalenſes adeò hoc monſtro perterriti, non auſi ſunt ſe committere Spærileno, ad ſolitas piſcium capturas, & alia conſueta lignorum mercimonia, quibus dediti ſunt, imò nec ad littus quidem accedere. Autumno proximè elapſo antequam glacie concreviſſent aquæ, à pleriſq; è longinquo viſus eſt. Capitis magnitudo æquare videbatur ingens vas, corporis hinc inde ex fluvio extantis craſſities amphoram vini, longitudo, quantum ſpectatores aſſequi potuerunt, tres abietes Norwegiæ proceras ſuperabat.

Mercator in Atlante ſuo de hoc verme memoriæ prodidit: in lacu Norwegiæ *Mos* dicto, ſerpentem miræ magnitudinis interdum apparere, portendentem certam rerum mutationem; viſum eſſe noviſſime Anno ſalutis cIↄ Iↄ XXII, altè eminen-

tem ſuper aquas, in ſpiras convolutum, exiſtimatum eſſe, quantum viſu conjici potuit, cubitos 50 excedere, ſeqvutam verò haud multo poſt Regis Chriſtierni ejectionem.

HIST. LXIV.

Strumæ cancer & oſſiculum.

VIr Nobilis inter primos Daniæ, per multos annos ſtrumam in dextra colli parte geſtavit, quæ per totam tandem genam, collum ejusdem lateris, & aſperam arteriam diffuſa in tantam molem accrevit ut os ad latus ſecum traheret, cibumq; obliquè in os inſtillare æger cogeretur. Tandem poſt magnas moleſtias ingentis ponderis A. C. 1659. in cancrum deſiit exulceratum, incredibilis fœtoris. Fruſtula ſtrumæ partim per ſpontaneam putredinem deciderunt, partim cauteriis potentialibus ſine ullo doloris ſenſu admotis reſoluta, unde ferè ſtrumæ deformitas ſublata, ſed, quod in cancro fieri ſolet, tanta ſeri copia effluxit, (forſan ex Lymphaticis vaſis ex colli glandulis ad ſtrumam propagatis & dilatatis) ut projectis viribus, & impedita degluttiendi reſpirandiq; propter aſperæ arteriæ com-

compreſſionem via, inter tanta tormenta & corporis fœtorem, brevi poſt vivendi finem Hafniæ fecerit. Inter fruſtula decidua repertum eſt os triangulare ſatis magnum, ſpongioſæ carni inhærens, & ab omnibus oſſibus aliis liberum, quod per ſuppurationem à natura fuerat ſeparatum, cujus teſtis mihi eſt *D. Paulus Moth*, amicorum primus. Sine dubio ex maxillæ oſſe deciduum. Nam & tale in ficu cancroſo oculi invenit *Hildanus* Cent. 1. Obſ. 1. quod ex cranio ſuſpicabatur deductum.

HIST. LXV.

Ovi vis purgans, & corpori moleſta.

SOrbilia ova in prandio ſumpta, lubricam mihi à meridie alvum concitant. Alium amicum novi, quotiens alvum adſtrictam aliisq; medicamentis inobedientem ſentit, ovo ſorbili blandiſſimè & ſatis copiosè purgatum. Obſervant eandem ovorum vim & exemplis probant *Jo. Manardus* teſte *Braſavola* c. 6. l. de Med. Purg. *Marc. Donatus* l. de Mechoac. *Alex. Benedictus* l. 19. c.

33. de cur. morb. *M. Aur. Severinus* Trim. Chir. c. 5. §. 2.

Joannis Straſardi Bruxellani pictoris conjunx apud *Henr. Smetium* l. 10. Miſcell Med. ex ovorum frixorum eſu in lipothymiam ac convulſiones epilepticas decies aut ſæpius repetentes procidit. Collegæ noſtro *M. Chriſtiano Stenbuchio* Profeſſori Regio Clariſſimo ſpaſmus eſt moleſtus quotiescunq; vel ovis ſorbilibus veſcitur vel quocunq; cibo alio, cui ova ſunt immixta. Adeò etiam utiliſſimarum rerum apud nonnullos eſt averſio naturalis, & faſtidium innatum.

HIST. LXVI.

Clyſter ex Tabaco, & pro eo inſtrumentum novum.

NIcotianæ ineſſe vim ἄνω & κάτω purgandi, illi experiuntur, qui præter voluntatem, ſubinde fumum deglutiunt. Idem fumus ſi vitro cereviſia vel vino pleno inſuffletur, ſimilia operatur. Hinc ingenioſus quidam loco decocti pro clyſteribus, fumum ano immittere didicit, feliciterque alvum pigram proritavit in quibuscunque affectibus, ubi enemate indigemus. Modum

dum mihi aperuit amantiſſimus frater D. *Eraſmus Bartholinus*. Duæ fiſtulæ ſive luteæ ſive ſtanneæ more ſueto nicotianâ impleantur & accendantur, & latiora orificia ſibi invicem obvertantur, tum extremitas anguſtior unius ano immittenda & per alteram extremitatem inſufflandus ore fumus ut ad inteſtina vadat. Qvo artificio unusquisq; ipſe ſibi enema injicere poteſt, nec magno opus eſt in decoctionibus apparatu, qvum hoc fumo feliciter prompteque ad excretionem natura ſollicitari videatur. Poſſent & aliorum pulverum fumi hoc modo injici, pro urgentium in inteſtinis affectuum neceſſitate.

Commodius inſtrumentum huic fumo per anum inſufflando conficiunt ingenïoſi Angli, quale ſecum nuper inde redux apportavit Vir Cl. *D. Henricus à Möinichen*, intimus noſter amicus & Affinis, ad cujus normam pictor ſequentem figuram expreſſit, quam literis ſignatis, clarius illuſtrabo:

a.a.a.a. Fiſtula concava ano immittenda, ex ebore.

b. Extremitas funiculi ex ebore, quæ fiſtulæ *aa* obliquè inſeritur, & pro arbitrio eximitur.

c.c.c.c Funiculus oblongus, flexilis, ex corio

rio Ruſſico, intus cavus, ſimilis fiſtulis Indicis pro ſugenda Nicotiana, longus, ut commodè in una parte admoveri poſſit inſtrumentum, & altera podici inſeri. Ut firmius ſit, nec concidat in ſe, æneis filis ſubtilioribus in gyrum hinc inde munitur.

d. Hic deſinit funiculus, qui firmiſſimè per ænea fila alligatur manubrio eburneo ſequenti, cui continuatur Vaſculi recipiendo tabaco deſtinati pars infima, quæ interius eſt perforata ut ad funiculum fumus deſcendere queat.

f. Vaſculum ipſum ex ebore, amplum ſatis, ut ibi tanquam in promptuario conſueto nicotiana contineatur & deinde accendatur. Interius undiq; obducitur bractea tenui, ne ignis noceat ebori, quæ libera eſt, ut eximi poſſit pro neceſſitate.

g. Vaſculi orificium, cui imponitur

h. Operculi eburnei latior pars, illi accuratè reſpondens, è qua protenditur


i. i. Ejusdem operculi collum intus cavum.

k. Suprema operculi pars concava, foramine dotata, per quam appoſito ore applicatisque buccis inflatur ſpiritus, & fumus deſcendit ex accenſo tabaco vi ſpiritus propellentis. Quia

Quia facilè eſt inventis aliquid addere, ſimile inſtrumentum confici poteſt ad uterum pro verecundis puellis & mulieribus, ut ipſæ uterum pro neceſſitate ſibi vel expurgent, vel alterent, vel roborent.

Sequitur

Figura ipſa Inſtrumenti Novi:



Digitized by Google

HIST. LXVII.

Oleum contra vermes externum.

DIfficulter ad medicamenta interna coguntur pueri propter ſaporis moleſtiam, inprimis quæ lumbricos enecant, quia amara ſunt. Modum cogendi tradit *Ægineta* l. 4. c. 57. per inſtrumenta, qui periculoſius ob puerorum clamores & metum convulſionis, memini enim infantem intercepto ſpiritu ferè ſuffocatum. Hinc externis omni conatu inſiſtitur blandius, quibus etiam mira ſubinde Empirici præſtant. Nolo farraginem coacervare, quæ apud Authores noſtros proſtat. Patavij in Monaſterio S. Juſtinæ apud Monachos pro theſauro ſervatur oleum contra omnes cujuscunque ſpeciei vermes, & omni ætati proficuum, quod *Michaeli Scoto* adſcribit *Paulus Bogellardus* part. 2. c. 17. de ægrit. Infant. & nomine olei S. Benedicti deſcripſit *Decius Fortis* Comm. in Meſu. pag. 178. Ex ſchedâ *Benedicti Sylvatici* Medici Patavini Illuſtris, emendatum hic, *Rhodij* noſtri beneficio, ſignabimus.

R. Me-

R. Medull. oſſium Perſic. amygdal. am. ſpic. hortens. alliorum, ſcalon. lumbricorum rubeorum ana lib. 1. Rad. gentian. enulæ, dictamn. alb. fraxini, gram. herbæ imperial. Rad. Pœon. rad. major. (vel fol. ejusd.) ana Unciam unam. croci, cal. arom. caryophyll. aloës hepatic. galban. colocynth. nucis moſch. cinam. piper. longi, thuris, carpobalſam. vel balſami, corall. rub. an. Unc. quatuor. Theriac. elect. Unc. VI. menth. abſinth. abrotan. Centaur. min. fol. Perſic. porrorum ana M. I. Piloſell. pulegij rubei, (origani,) plantag. rutæ, (marrubij,) apij, fol. lauri, (thymi,) ſalviæ, chamædr. roriſmar. Santolinæ, majoranæ, beton. cort. pomor. aurant. cort. granat. (acetoſorum,) anethi, marrubij an. M. j. Sem. apij, portulacæ, raph. caulium, porr. fœnugr. (ſantonici,) cidonior. fœniculi, petas. (piloſellæ,) lupinorum, ſquillæ, phaſeoli rubei, orobi, an. Lib. 1. C. C. (uſti,) fell. taur. an. lib. ſem. aceti albi fortiſſimi, aceti de ſucco Cidoneorum lib. ij. ol. maſtich. petrolei, laurini, de ſpica ana Unc. ſex. ol. comm. antiquiſſ. lib. XLV. Cum aliquam prædictarum herbarum, aut ſeminum, aut radicum, aut corticum de die in diem inveneris, ſtatim groſſo modo incidas vel piſta in mor-

mortario & ſimul cum ſpeciebus etiam aliquantulum groſsè tritis imponas in olea ſupradicta. Poſtea verò cum cuncta inveneris, in dicto oleo macerentur per XV dies, deinde bulliant lento igne vaſe clauſo, cum dicto oleo communi per mediam horam vel ad conſumptionem tertiæ partis. Poſtea coletur per pannum lineum groſſum cum expreſſione. Servetur tandem in vaſe commodo probè obturato.

Uſus 1. Inungenda ſunt tempora. 2. nucha colli. 3. nares intus. 4. Gulæ furcula, puteus. 5. ſtomachus. 6. Umbilicus. 7. Renes. 8. Pulſus brachiorum. Inter quamlibet unctionem ceſſabis per ſpacium unius Ave Mariæ. Hoc ſummopere obſerves ut prima unctio fiat à parte ſuperiore, à temporibus gradatim deſcendendo, & ſic videbis mirabilia. Singulis inunctionibus modicum accipies, & ſedulò vas obturabis.

Alia deſcriptio paucis mutatis extat in Receptario Pharmacopæi S. Juſtinæ Patavij:

℞. Medull. oſſ. Perſicor. amygd. am. ſpicæ hortens. alij, Scaloniarum, lumbric. terræ an. Unc. Sex. gentianæ M. ſem. diptamn. albi, Rad. frax. gramin. herb. Imperat. pœniæ,

oniæ, moror. vel fol.ejus,croci,calam.aromat. caryophyll. alœs, galbani; colocynth. Zinzib. nuc. moſch. cinam. macropiper. thuris, carpobals. corall. alb. an. Unc. duas. Theriacæ el. Unc. VI. Menth. abſinth. abrotan. centaur. min. fol. Perſic. porrorum, piloſellæ, puleg. rub. origan. plantag. rutæ, marrub. apij, fol. lauri, thymi, ſalviæ, chamædr. tanaceti, rorism. ſantolinæ, major. betonic. cort. pomor. limon. aurantior, granator. acetoſæ an. M. ſemis. ſem. apij, portulacæ, raphani, caulium, plantag. porror. cyton. feniculi, petroſel. piloſellæ, lupinor. ſecalis, phaſeol. rub. bacc. lauri an. Unc. ſex. C. C. uſti Unc. tres. fellis tauri Unc. ſex. aceti albi fortiſſimi lib. 1. ol. maſtich. petrolæi, laurini, de ſpicâ n. an. Unc. ſex. olei vetuſtiſſ. ſi haberi poteſt lib. XXV.

Cum de die in diem aliquam prædictarum herbarum, aut aliorum ingredientium inveneris, inciſis incidendis, contuſis contundendis, in oleo miſceantur. poſtea cum cuncta inveneris in dicto oleo miſta macerentur in Sole per XV dies: deinde bulliant in B. M. per integrum diem ſine intermiſſione. Poſtea colentur cum expreſſ. adde in fine theriac. in aceto diſſolût. &

tan-

tandem miſceantur; mox obtura, & ſerva ad uſum.

HIST LXVIII.

Suffocatio ex aquis.

CLeombrotus ſtudio immortalitatis mortem in aquis elegit, teſte *Cicerone* l. 1. Tuſcul. Quæſt. Facillima illa mors creditur, quia nullum doloris ſenſum infert, ſicut probat *Petrus la Sena* c. 8. de iis qui aquis ſubmerguntur. Mors tamen hæc ipſis Heroibus aliisq; ſemper fuit formidanda. Unde *Ovidius* l. 2. de Pont. Eleg. ad Græcin:

Demite naufragium, mors mihi munus erit.

Ad effugiendam igitur ex aquis ſuffocationem, ſi fors eluctari conceſſerit, magno conatu hinc inde demiſſo capite elatisq; pedibus eſt concutiendus æger, ut ex corpore hauſta aqua tanquam ex dolio, effluat, ſeduloq; cavendum ne lecto ſtatim committatur, quo medio plurimos ferè ſubmerſos, evaſiſſe memini. Venetiis apud hoſpitem meam Germanus aurifaber ex aquis extractus, elatoq; capite in lecto compoſitus eadem nocte ſubito exſtinguebatur,

batur, ſuffocato à nimia humiditate calore nativo. De hoc argumento conſulendi *Foreſtus* l. 6. Obſ. Chir. 33. *Codronchius* libr. de ſubm. in Aq. *Hildanus*, aliiq;.

HIST. LXIX.

Scrotum putridum ablatum & reſtitutum.

A. C. 1658. menſe Auguſto inter alios captus eſt ab obſeſſis Hafnienſibus miles Suecus Laurentius Dalbo, & in cuſtodia ſub ſphæriſterio aſſervatus. Menſe Decembri, quia graviter decumbebat, ex cuſtodia in melius urbis hoſpitium deportatus, in inguinibus bubones duos habebat, & ſcrotum totum ſphacelo jam conſumptum erat. Advocatus Medicus Experientiſſimus D. *Mothius*, per Chirurgum Regium, univerſum ſcrotum à teſtibus & vaſis ſpermaticis ſine omni dolore artificioſè liberavit. Teſticulum dextrum à dextra parte jam quoq; gangræna invaſerat. Interea primum ſiniſter bubo, mox etiam dexter ad ſuppurationem pervenit, ex quibus tanta materiæ colluvies per aliquot menſes promanavit, ut corporis impuritatem ſolo hoc ſigno propalaret.
Qvum

Qvum igitur per aliquot inde menſes frequenti purgatione evacuatum eſſet corpus, atque fluxus ille quotidie imminueretur, bubones cicatrice obducti, & natura nova carnis generatione teſtes, quos incorruptos ſervavit, involvit, & præter omnium ſpem, conclamatum ægrum, pancratice jam valentem, integritati ſuæ reddidit.

HIST. LXX.

Hernia poſt Colicam.

FLatus hypochondriaci Viro inſigni, mihique amico, colicique dolores ſæpe moleſti erant, quos tandem ſopivit extinxitque umbilicus dilatatus, ut immunis exinde vixerit. Ne verò moleſtior hæc hernia ulterius ſerperet, vinculo & emplaſtris contra rupturam munivi laxatam partem.

HIST. LXXI.

Carcinomatis in abdomine ſectio.

REligioſi Viri Hafnienſis uxor honeſta, juvencula & ſangvine florida, ſuperioribus

ribus

ribus annis tumorem in dextro hypochondrio umbilicum verſus advertit, qui cum ventre prægnantis indies cum dolore & tenſione augebatur. Poſtquam onus uteri haud vitale depoſuiſſet, ſibi relictus tumor ad capitis infantilis amplitudinem excrevit, durus, inæqualis, ſed mobilis. Dum circa hoc oneroſum tuberculum manus Chirurgi occupatur, natura circa radicem hinc inde per circulum diſrupta cute viam ſectioni monſtravit, qua neglecta occaſione per medium hians copioſæ aquæ cruoriq; effluenti aditum patefecit. Imminutus quidem tum tumor, ſed labiis calloſis & hiantibus ſpem curationis ulterioris, quanquam variis cauſticis Chirurgus extirpationem tentaret, eluſit. Interea protracta longius curatione, poſt anni decurſum iterum imprægnata, augeſcentis tumoris incommoda ſentiit. Poſt felicem partum curæ noſtræ ſe ſubjecit, adſcito in operis ſocietatem D. *Paulo Mothio*, ut certior eſſet induſtriæ noſtræ fides. Cancrum minabatur fœtidus tumor, pugni magnitudine per medium quaſi binis valvis patulus, doloribus moleſtus, & continuis cruentæ aquæ effluviis fœtidis, ut ipſam ſe averſaretur, malueritq; quidvis experiri, quam inter has vitæ miſeræ mole-

moleſtias diutius ſupereſſe. De reſecando tumore, qvum nulla in cauſticis ſpes, deliberatum inter nos fuit. Diligenter igitur partem affectam pertentavimus. Transverſum digitum ab umbilico diſtabat, & verſus hepatis regionem lata baſi protendebatur, ſed mobili, nulliq; parti altius affixus, niſi dextræ, hic enim quaſi funiculus profundius infigebatur, quem radicem credebamus. Ancipites conſilii, quod ignotum eſſet, quo radix tenderet, an ad nobilem partem, an integra ſine ſubjacentium partium mollium læſione extrahi & excindi poſſit; animati tamen ab ægra, mortem potius quam dubiam vitam & cottidianas calamitates ſerpentis carcinomatis eligente, & moniti à *Galeno* l. 10. Meth. Med. c. 10. ſatius eſſe aliquid nonnulla fiducia vel cum periculo facere, quam ſpe adempta certò perire, ſatiusq; eſſe multo, potentibus præſidiis pugnare, quam nihil agere; freti deniq; prompta Chirurgi Philippi manu, diem ſextum Octobris 1659. operationi indiximus, quo præparato prioribus diebus diligenter corpore, convenimus, reſupinamq; ægram in ſella decubitoria collocavimus. Deſignato per atramentum circuitu à ſiniſtra parte inciſionem exorſus altiusq;

usq; propter copioſam pinguedinem adacto cultro, dextram verſus vulnus perſeqvutus eſt, ut radicem extirparet, quæ abrupta nullum aliud ſui veſtigium reliquit, neq; ultra muſculum obliquè deſcendentem progredi viſa eſt. Ipſe tumor membrana ſua involutus pinguediniq; abdominis immerſus, totus extirpatus, per cujus tunicam venæ ex Epigaſtriis diſſeminabantur, quæ dextram verſus ampliores, ubi præcipua erat radix. Intra hanc membranam ſubſtantia gelatinæ frigore denſatæ ſimilis obſervabatur, qualem in aliis pleriſq; Carcinomatis vidimus, quaſi loculis racematim diſtinctis. Singuli loculi ſua pellicula tenuiſſima inſtar telæ aranearum involvebantur. Qua parte exulcerara fuerat, putredo viſebatur.

Abſterſo cruore per ſuturam ampliſſimum vulnus conſtrictum, & turundis ex ol. Hypericonis tinctis cum Emplaſtro, per primam intentionem animus erat curare. Cæterum recedentibus nobis, largius ſanguis fluxit, & inter ſuturas collectus, quo poſt aliquot dies putrido, ſuturas laxavimus, ut fœtori proſpiceremus, abſterſoq; vulnere per ſp. Vini, digeſtivis inſtitimus, fibulisq; ex emplaſtris adſtringentibus vul-

neris

neris labra contraximus. Ita optime mulieri fuit conſultum, cui per vices clyſteribus obſtinatam alvum ſollicitavimus, quæ ſine ullis ſymptomatis gravioribus ſeptimo die procurato pure, ſenſim deinde conſolidato vulnere intra ſex hebdomadum decurſum integrè convaluit. Nullæ in vulnere unquam radicum apparuere reliquiæ, niſi quod ſemel elatiora in dextris venularum orificia ſe proderent, quibus tamen ſana carne inductis, ex voto cuncta ceſſere. Conſolidatâ plagâ, venter tumidus reſtitit, quem purgante medicamento ex Jalappa ad obſequium reduximus. Demum ut naturæ fluxum aliò diverteremus, fonticulum, quem in brachio dextro hactenus geſtaverat, renovare ſumus aggreſſi, ſicq; Deo fortunante feliciter finem difficillimæ huic & moleſtæ affectioni impoſuimus. Carcinomatis, ut illuſtriora eſſent omnia, adjecimus iconem. Figura prima externum monſtrat carcinoma, cum ſuis valvis, ſicut ante ſectionem corpus defædavit. Figura ſecunda idem carcinoma offert, ſed exciſum & inverſum, ut interior ſubſtantia videatur, quæ hinc protuberans quaſi racemi uvarum, gelatinâ concretâ veſiculas plenas denotat.

Digitized by Google

Fig. I.





Fig. 2.



Digitized by Google

HIST. LXXII.

Eryſipelatis remedia popularia.

PRobatiſſimum vulgi remedium unum chartæ huic adſuam, quod nunquam fallere experientia inter noſtros docuit. Urinam propriam melle ſubactam ſummo mane continuis tribus diebus aſſumunt, & exinde tutos ſe ab Eryſipelate per vitam ſciunt. Mel ſanè humores calidos temperat & expurgat, urina verò vehiculi loco adhibita, ſale ſuo abſtergit bilem. Lithargyrium tritum inter duas petias externè eryſipelati impoſitum, & dolorem mitigat & tollit eryſipelas. Vidi effectum, & aliis autor fui ut uterentur, quia etiam *Crato* id probavit, & *Sala* in Append. Theſaur. Spag. Sect. 5. n. 5. Cavendum quidem in hujusmodi morbis, à refrigerantibus & adſtringentibus, cæterum multorum felicem eventum uſus comprobat, quorum rationes ignoramus. Rectè enim *Cælius Aurelianus* l. 3. acut. c. 16. *Hæc quæ vulgus per experimenta probata putat, longe aliena ab arte monſtrantur.* Ne tamen nimia frigiditate noceat, tepor procuretur, & adſtrictione leni ex parte affecta noxius humor expellitur, roboraturq;

turq; illa ne tam facilè poſthac affluxus alios admittat. Imò reſolvendi ſi quidem poteſtate polleat lithargyrium, vanus metus.

HIST. LXXIII.

Scabiei remedium vile.

NIhil temere in medicina ſpernendum. Ex viliſſimis remedium eruimus profuturum, qvum ex eventu potius quam precio omnia ſint æſtimanda. Nihil vilius detritis calceis. Novi tamen puerum Melitenſem toto corpore cruſtis fœdis obſitum, qui adſperſo cinere combuſti corij calceorum cum oleo roſaceo convaluit. *Galenus* l. xi. de ſimpl. Med. Facult. talem cinerem reſiccatorium vocat, & pro ulceribus ambuſtis, & quæ vocantur intertrigines in fœminibus, quoque commendat. An ea poteſtas melanteriæ, quæ emplaſtrum Nigrum Traſeæ Chirurgi ingreditur apud *Scribonium* Comp. 76?.

HIST.

Digitized by Google

HIST. LXXIV.

Vulnus ſub ala dextra.

PEtrus Eraſmius veſpertinis horis XXIII Oct. 1659 à compotatore cæſim acuto gladio ſub ala dextra vulneratur, dum in ſui defenſionem brachium elevaret, qui gladius ad claviculam dextram impetum ſtitit. Propter ſubclavias & axillares venas larga hæmorrhagia inſeqvuta, cruore tanquam ex arteriis cum impetu proſiliente, nec niſi appoſito digito vel turunda cohibito. Enſis pulmones intactos liquerat, per os tamen ſanguinem copioſum expuit. Mane accerſitus mecum D. *Simon Paulli* rerum uſu & eruditione clarus. Quietam noctem vidimus, & invenimus ſine febre aut reſpirationis difficultate, cruorem Chirurgi Adami operâ cohibitum, vulnusque ut decebat, deligatum. Circa claviculam dolor, & in abdomine propter muſculorum ſerratorum conſenſum, tumorq; dextræ mammæ, qui poſt aliquot dies ad brachium translatus eſt, ſed levi olei roſacei inunctione & emplaſtro diaphoretico levatus. Sexto die tuſſicula ſicca neſcio quid portendebat, quam tamen repreſſimus decocto hordei in aqua hyſſopi, cum ſyr. de Eryſimo,

de liquiritia &c. Nono die ex profundo vulnere, pus laudabile prodijt, quod ſenſim auctum copiâ ſuâ in admirationem nos rapuit, donec intra vertentem menſem ſine ullis gravioribus ſymptomatis convaleſceret, jamq; itineribus ſit intentus.

HIST. LXXV.

Inteſtinorum ex vulnere prolapſus.

INter milites duos Regia ſtipendia priori bello Suecico Malmogiæ merentes, exorto duello, qvum alter illorum in pugna ſiniſtrâ uteretur, gladio lato cæſim abdomen alterius per transverſum ſecabatur, ut inteſtina rupto peritonæo magna vi provolverentur. Vulnerati ſalus fuit, quod illæſa inteſtina deprehenderentur, unde Chirurgus diligenter abluta, intra abdomen digitis ſuis repoſuit, fibulisque & emplaſtris abdomen patulum conſtrinxit, & ex voto hominem brevi ad militiam reduxit.

HIST.

Digitized by Google

HIST. LXXVI.

Datura Indorum.

DAtura, apud Indos præſertim in Goa familiaris, Achantho ſimilis eſt, teſte *Garcia ab Horto* l. 1. Plant. c. 24. Fructum fert Stramoneæ haud abſimilem, cujus ſpeciem credit *Chriſt. à Coſta* l. Aromat. *P. Alpinus* l. 2. Plant. Exotic. *F. Columna* Not. ad Hiſt. Mexic. p. 886. qui quinque ejus ſpecies deſcribit. Fructus pomum refert, ſed aculeatum & oblongum nucis juglandis magnitudine, ſeminibus exiguis refertum. Nam ſolani eſſe genus probat *Veſlingius* Annot. ad Plant. Ægypt. Alp. At Hyoſcyami ſpeciem defendit *Jo. Torrentius* Not. ad Hiſt. Mex. l. 4. c. 18. l. 8. c. 28. quia narcoticam vim obtinet,& varia phantaſmata inducit. Utuntur hoc ſemine Indicæ mulieres laſcivæ, & fures, quemadmodum referunt oculati teſtes à *Coſta*, *Garcias*, *Lindſchottanus*,*Mandeſlous*, aliique: illæ ad fallendos maritos, hi ad furtum. Mulieres Luſitanæ in Goa civitate opulentiſſima ut ſecurius libidinem cum procis expleant fallantque etiam præſentes maritos, ex ſemine Daturæ recentive planta ſuccum ex-

pri-

primunt, vel ſiccata ſemina in pulverem redigunt, eaq; conditis vel cibo & potu miſta aſtu quodam maritis exhibent. Varia ex aſſumto ſemine patiuntur Viri, vel enim ſomno obruuntur profundiſſimo, vel fatui redduntur, ſenſibusque orbantur, ut videntes nihil videant, & cum ratione nihil intelligant. Ad 24. horas extenditur hic paroxyſmus. Interea procos ſuos admittunt mulieres loci vitio laſcivæ, & in præſentia mariti omnem libidinem explent; ubi ſatis Veneri indultum, excitatur demum Vir lotione pedum frigidâ vel forti frictione, omniumque rerum, etiam viſarum, neſcius quaſi ex ſomno meridiano expergiſcitur. Ita illuditur maritus, inſciusque Corneliorum familiæ adſcribitur. Singulari quoque artificio eædem feminæ norunt Daturam præparare, ut ad certas horas, quamdiu illis commodum fuerit, operationem contrahat. Eaſdem technas fallaciasque ſervi furtivi heris ſuis adornant. P. *Alpinus* l. 2. de Plant. Exotic. c. 3. à medicis Arabibus & Ægyptijs audivit latrones ſtramoniæ longæ ſeminibus tritis uti ad mercatores ebrios reddendos, ut commodè ipſorum merces deprædentur.

Fru-

Fructum inter rariora non ſemel vidi. Planta ipſa in horto Regio Hafnienſi colebatur, cum illi præeſſet Vir Naturæ peritiſſimus *D. Otthо Sperlingius*. Jamq; in privatorum hortis non inviſa. Hoc anno floruit in horto urbano ſoceri mei, Conſulis Hafnienſis Ampliſſimi. Patavij in horto aluit *Alpinus*, qvam Daturam Contarenam vocavit ex primo ſtirpis raræ in Italia cultore *Nicolao Contareno*, Illuſtriſſimo Senatore Veneto. Viſebatur etiam nuperis annis in horto Gottorpienſi, ſicut teſtatur Vir naturæ & artis curioſiſſimus *Adam Olearius*. Ex ſemine ſpiritus elicitur, qui cum ad manus nuper eſſet, placuit in brutis facere experimentum. Cani propinatus, temulentum videbatur reddere, unde capiti vaporibus ſuis infenſum erit, ſicut opium, cujus tamen frequentior uſus Orientalibus minus exitioſus. Nolumus vitia feminarum Indicarum aut ſequi, aut laudare. In uſum potius trahamus, quo illæ abutuntur. Commode illis exhibebimus, quibus ob gravis & doloroſæ operationis metum ſenſus ſunt ſopiendi vel obtundendi, in artuum amputatione, calculi extractione, aliisq;.

HIST.

HIST. LXXVII.

Surditas ex pane calido.

PAſtor Cimbricus in aurium defluxionibus conſilio amici panem calidum auri dolenti apponens, auditu privatur. Sine dubio panis calore nimio corrugavit & exſiccavit tympanum nervumq; ἀκουστικόν. Conſultum igitur calidis humectantia & diſcutientia miſcere. Pro ſecreto habet *Prævotius* in ſelect. Remed. crocum & Garyophillos cum ſucco Cyclaminis, qvæ ego ſoleo aqua roſacea miſta & trita ex bombace excipere & auribus immittere.

HIST. LXXVIII.

Epilepſia ex pede.

SCriba Holſatus XXV annorum, convulſionibus Epilepticis Hafniæ 1659, concutitur, ex pede ſiniſtro elatis vaporibus, quod obſervarunt quoq; *Galenus* l. 3. Loc. Aff. c. 7. & *Fernelius* l. 2. de Morb. Venen. c. 15. *Tulpius* l. 4. Obſ. c. 2. Huic ſcribæ ante inſultum pes ſtupet, mox adſcendentem ad genua vaporem ſentit, quo, relictis genu-

genubus,altius adſcendente, ſtatim convulſus concidit, cum copioſa circa os ſpuma. Conſilio amiciſſimi noſtri *D. Mothi*, arctius vinculo pedem infra genu conſtringit, qvum ſtuporem perſentit, ut inhibeatur maligni vaporis adſcenſus, qua ligaturâ poſtea evaſit epilepſiam, niſi quando negligentiâ quadam omiſit vinculum. Obſervavit autem diligenter vaporum curſum, quos ſi altius animadvertit repere, altius quoq; vinculum aptavit, vel demiſit.

HIST. LXXIX.

Puerperæ ſubitanea mors.

PRimipara juvencula Haffnienſis necdum tranſactis purgationis hebdomadibus per varias ædium habitationes poſt cœnam animo commoto regrediens, ſubitò concidit in culina & inter manus ancillarum mortua deprehenditur, nulla voce, nec ſuſpirio audito, leviter tantum moto pede & ſpuma circa os comparente. Mihi hyſterica videtur Epilepſia, quam facilem vocat *Hippocrates* in Coac. Prænot; huic tamen, convulſiones antea perpeſſæ, lethalis, ſive quod frigidum aërem per januas uterus

rus attraxerit, ſicq; ad vitales partes purgamenta tranſlata, unde confeſtim ſæpe mortuas vidit *Cous* l. de Morb. Mul: ſive quod ex animi commotione & lapſu Apoplexia imminentem Hiſtericam Epilepſiam oppreſſerit.

HIST. LXXX.

Fontanellæ mutatio.

INter bicipitem & deltoidem dextri brachij, conſueto loco, fontanellam ad divertendos catarrhos decumbentesq: humores femina haud infimæ apud nos conditionis ſibi cauterio inprimi curavit, & cum ſperato fructu diu geſtavit. Mirum id accidit, quod ſua ſponte locum mutaverit, jamq; cum illam reviſerem, poſt anni curſum, prope articulum cubiti interni ſe tranſtulerit, calloſa quaſi ſemita relicta, per quam protruſa fuit, quæ cicatricum multarum ſunt veſtigia. Mutationis cauſa ex deligatione repetenda, qua ad latus compreſſo globulo ulcus ampliatur, & deprimitur, parsq; poſt partem exulceratur, & conſolidatur. Hinc diligenter proſpiciendum, ut vinculum firmetur, ne lubricum ſit ulceriq; laxet habenas.

Alij

Alij amico, Viro Clariſſimo, brachium ſupra fontanellam intumuit, eryſipelate phlegmonode doloroſum. Fluente verò ex ulcere cauterij ſanguine puro, detumuit.

HIST. LXXXI.

Thoracis vulnus penetrans innoxium.

PEtrus Ivari heriles iras multiplici vulnere IX Auguſti cIↄ Iↄc LIX Hafniæ & offenſas expiat. In capite primum vulnus prope ſuturam ſagittalem, alterum in bregmate ad digiti transverſi latitudinem ſupra aurem ſiniſtram; tertium quartumq; ſincipiti inflictum. Periculo hæc omnia vacarunt, & ſpacio menſtruo percurata. Thorax verò majores gladij injurias excepit. Penetravit hujus vulnus inter quintam & ſextam coſtam lateris dextri antrorſum prope mammam, ad dorſum uſq; inter quartam & quintam coſtam. Larga cruoris effuſio, ſymptomata graviora impediit, quæ nulla ſenſit ad quartum uſq; diem, quo levis tuſſicula invaſit, ſive humidi cubiculi vitio, ſive naturali ad catharros propenſione. Sedata eclegmatibus & pilulis cathar-

Digitized by Google

ros à capite defluentes incraſſantibus bidui ſpacio tuſſi. Alvus pigrior ex decubitu clyſtere non ſemel ſubducta, excrementis nullo unquàm cruore tinctis ſed prorſus ſanis. Potionibus vulnerariis & diligenti vulnerum deligatione ſenſim pure laudabili confecto melius habuit, edendiq; cupiditate & ſomno redeunte, XII Octobris vulnera conſolidata, ſtupentibus Medico præſente D. *Mothio*, & Chirurgis Sixio & Philippo, quod periculoſiſſima hæc vulnera ſine ullo ſymptomate feliciter ſucceſſerint. Vera autem conjectura exiſtimarunt, nullum ex viſceribus interioribus nobilioribus fuiſſe læſum. Miraculo vicinum, illæſis pulmonibus penetraſſe gladium. Vero eſt ſimile in exſpiratione vulneratum, quod etiam ſine damno obſervavit *Hildanus* Cent.3.Obſ. 36. Tranſverſum vulnus per thoracem tranſiens ſine interiorum læſione quoq; vidit F*oreſtus* l. 6. Obſ. Chir. 17. Felicia hujusmodi vulnera ſunt,& fortunæ imputanda. Noſter tamen hic vulneratus, quanquam ex voto omnium, ſit ex vulneribus ſanatus, alia tuſſi & deſtillatione oborta ad plures abiit.

HIST.

HIST. LXXXII.

Fungus Capitis.

CApitonem puerum in nundinis Amſtelodamenſibus vidit *P. Schumacherus* noſter, in ſpem patriæ magno ingenio & indefeſſa diligentia ſurgens, Anno 1658. Puer erat ſeptimeſtris à partu, ſtatura juſta, membris tamen jam tabe aliqua evaneſcentibus, ſed caput erat fiſcus reliqui corporis, cujus ſuperior pars ab ipſis ſuperciliis ad occiput usque circumquaque cum ipſis cranij oſſibus ita intumuerat, ut fungum dejerares, tenui ſcapo ſuffultum, aut potius cucurbitam aliquam, nam nusquam dependebat, aut mole ſua temporibus ſuperciliisque imminebat, oculorum tantum pupillas aliquantum detorſerat, & intra inferiores palpebras demerſerat; ſed æqualiter ubiq; extenſum ſurgebat. περιφέρεια erat ulnæ unæ Brabanticæ cum quadrante. Digitis quantumvis leviuſcule contrectatum cedebat illico. Mollities, non prorſus qualem habet ſuppuratum ulcus, nec qualem veſica modico vento inflata, ſed inter hæc medij generis.

HIST. LXXXIIII.

Fœtus mortui expulſio violenta.

VAria in fœtu mortuo pellendo moliuntur Medici & Chirurgi, tam veteres, quam novitij, & internis & externis. Inſtrumentorum operam advocant *Paulus*, *Celſus*, *Albucaſis*, *Aquapendens*, *Scultetus*, ſed ſi averſas puerperarum voluntates invenerint, fruſtra erunt. Ubi igitur interna nihil proficiunt, & inſtrumenta refugiunt puerperæ, cæteraq; conclamata, ut mater conſervetur, una compreſſio abdominis vehemens per adſtantes auxilio erit. Novi in Gallia puerperas, quæ feliciter etiam vivos fœtus enituntur compreſſione externa manuum propriarum, qua blandè ad exitum propellunt embryonem, & ita ſine aliarum mulierum auxilio brevi ipſæ negocium ſuſceptum conficiunt. Fœtu verò mortuo, præſertim in partu ipſo hærente, qvum propter anguſtiam viarum, matriſq; imbecillitatem ex anguſtiis eluctari non poteſt, ne ſine ſpe miſera puerpera relinquatur, impoſitus orbis ligneus vel ſtanneus ſuper umbilicum fortiſſime manu Medici vel adſtantium percutiatur. Ut remedij novitas ſit conſpectior

ſpectior, exemplo illuſtrabimus, cujus nobis teſtis eſt oculatus Vir intimiori amicitia & naturæ ſcientia probatus *D. Abaſwerus Payngk.* Alexandriæ in Inſubria Dantiſcana Uxor Centurionis robuſta, nullo interno remedio propellere valuit fœtum in anguſtiis materni ſinus hærentem & mortuum, unde præſente animarum curatore, Medicus Hiſpanus adferri ſibi curavit orbiculum, qui menſæ inſterni ſolet, eumq; umbilico parturientis impoſitum magno niſu manus percuſſit, ut & dolores clamore prodiderit puerpera, & dictum factum extruderetur fœtus, ſalva matre & ſuperſtite, ſed larga hæmorrhagia, ob uteri conatus & dolores, inſequente. Nullam hic rationem auxilij inveniemus, niſi ex compreſſione abdominis forti, qua vi contenta excernuntur.

HIST. LXXXIV.

Adipoſa ſubſtantia ex hydatidibus hydropicorum.

QVinquagenariæ Matronæ honeſtiſſimæ 1660 œdematoſus tumor in hydrope pedes inflarat, ut ambulandi eſſet

difficultas. Mox copioſis hydatidibus ſeu veſiculis ſiniſter pes ſplendebat, & copioſa aqua nocte dieq; madebat, unde nonnihil ventris tumor ſubſedit, & liberior reſpiratio rediit. In pedibus verò copioſa aqua diffluentibus, id ſingulare obſervavimus, quod veſiculæ aquoſæ ubi in hac vel illa parte ſatis fluxerant, ſubſiderent, & adipoſa ſubſtantia flaveſcens remaneret, quæ cutem deturpabat. Abradebatur eadem levi conatu à Chirurgo noſtro, ſed non ſine ægræ dolore, propter ſubjectam cutem patulam & veſiculis jam denudatam. Ut à vero non abludant Proſectorum recentiorum conjecturæ, in lympha noſtra aliquid amplius latere, quam ſplendida fronte præ ſe ferat. Quo etiam conſpirare gaudeo Virum Celeberrimum D. *Simonem Paulli*, Regium Medicum, Affinem & Amicum ſummum, in digreſſione nupera de *Febribus Malignis* text. 20. qui laudatus Vir curæ hujus hydropicæ mecum quoq; interfuit. Id notandum præterea, ultra ulnam noſtram abdomen matronæ hujus conſtrictum, quamdiu pedes ubertim ſerum profuderunt. At ſolſtitio hyberno, accedente mœrore ob obitum filiæ puerperæ, proſtratis viribus ſponte ſuppreſſus ſiniſtri pedis fluxus, quamquam

quam in dextro quoq; eruperit, auctis tamen in abdomine aquis, brevi poſt placide frequentibus lipothymiis præcedentibus, copia aquarum pectus quoq; anguſtantium exſpiravit. Ex aperto abdomine XXIV menſuræ noſtræ aquarum pellucidarum extractæ haud malè olentium.

HIST. LXXXV.

Icterus ex vulnere ſclopeti.

MIra ſubinde ſymptomata inducuntur ex vulneribus ſclopetorum, quæ recenſet *Fr. Plazzonus* lib. de Vuln. ſclopet. De ictero tamen rarior obſervatio, quam in familiari colloquio mihi communicavit Illuſtriſſimus Senator & pro pace Legatus *Schiring Roſenhan*, qvum 1660 in caſtris evocatum ſummo officio me exciperet. Nempe in legione Principis Palatini, ſummi Exercitus Ducis, militi ſclopeto ventriculus perforatus, ſtatimq; icterus univerſum corpus deturpavit, at globulus per inteſtinorum patulos anfractus deſcendens, per ſeceſſum redditus hominem ſibi reddidit & ſanitati. Dictu difficile eſt, quæ cauſa icterum concitarit. An à venenato globu-

lo, quemadmodum morſu venenatorum animalium icterus inducitur? At cur non majora ſymptomata, aut gangrænam potius venenatus vapor excitavit? Si conjecturæ locus, per duodenum tranſiens globulus ſclopeti candens, ductus cholidochi terminos conſtrinxit & obſtruxit, quam obſtructionem in icteri generatione uno ore advocant Medicorum filij.

HIST. LXXXVI.

Capitis bovis ſylveſtris robur.

COrpora viventia adeo obfirmari poſſe & indurari, ut quemvis ictum gladij & ſclopeti eludant, inter milites ſunt qui credant, paſſimq; jactantium exempla occurrunt. Vidi ipſe duos, qui globulos corporibus ſuis innoxiè exceperunt. Unus Patavij Italus ab Helvetio minori ſclopo propius pectore excepit globum, læſis veſtimentis, ſed illæſa cute, nigraq; tantum macula notata. Accepto vulnere, concidit metu perterritus, presbyterumq; advocavit, ut ante obitum peccatorum impetraret remiſſionem; ſed ubi depoſito metu ad ſe reverſus eſſet, invenit corpore illæſo, globum

bum in ſubligaculis latentem. Alter Germanus Chiliarcha generoſiſſimus in excercitu Suecico, qvum ad oppugnationem urbis Hafnienſis ſtrenuè ſuos animaret, major tormenti æneí globus ex urbis mœniis coxam ejus percuſſit tanto impetu, ut ipſe velut exanimis concideret, & ad vicinum oppidum deveheretur. Inſpecto verò corpore nudo, nullum vulnus comparuit, ſed ſubliuidam ex contuſione maculam, ejus magnitudinis qua globulus tormenti fuerat, vidimus, & admirati ſumus ne cuticulam quidem fuiſſe læſam. Alij multa ſpondent, ut homines dementent, & naturalem huic arti cauſam ſubeſſe conantur perſuadere, qvia & remedia naturalia, & ſine ſuperſtitione fieri id argumento ſit, qvod verbis ſuperſtitioſis careat, ab aliis enim amicis etiam inſcio obfirmatur corpus ut ſit inviolabile. Inter naturalia media Doronici radicem laudant, quam credunt eo modo innoxios à vulnere homines præſtare, qua rupicapras in rupibus à vertigine. Cæterum ûtplurimum periaptis ſuperſtitioſis, carminibus, aliisq; à natura remotis cauſis, induratur cutis, ſi quidem vera ſint, quæ apparent. Qvid verò apum rex deglutitus? quid interula linea miris imaginibus diſtincta?

Damnant hæc aliaq; cordatiores, & ſpernunt. Artem hanc Paſſavienſem inauditam omnibus retrò ſeculis credit *H. Jordanus* l. de Eo quod Div. in Morb. c. 26. Invenio tamen antiquos noſtros Cimbros tantam corporis habuiſſe firmitatem ut ferro nullo cederent. De Baldero id teſtatur *Saxo* noſter *Grammaticus* lib. 3. Hiſt. Dan. cujus eapropter firmitatem ſacram appellat, & virgines ſylveſtres ſemideum crediderunt, arcano ſuperum ſemine procreatum. Sed occulta arte id factum. Frygga enim referente *Edda* Mythologia 43. quam laudat citatq; *Stephanius* noſter Not. ad Sax: jurejurando adegit omnia, ut Baldero parcerent; videlicet ignem, aquam, ferrum, ac omne metalli genus, lapides, terram, ligna, morbos, animalia, volucres, venena & ſerpentes. Quod ubi factum erat, experimentum rei Balderus & Aſanna fecerunt, ut ille quidem velut ſcopus in foro conſiſteret, alij verò telis illum peterent, alij gladiis ferirent, alij lapidibus tunderent. At verò quicquid ingererent, nihil ipſi nocere potuit. Per naturam, nobis hactenus notam, nulla arte ſeu cutis humana ſeu caro ſubjecta vivens ita indurari poteſt, ut vel ferrum vel globulos violenter immiſſos eludat, quan-

quam

Digitized by Google

quam multa ſint naturæ manifeſta, quæ nobis impoſſibilia videntur. Caput ſubinde tam firmum nonnulli acceperunt, ut externis injuriis ſit inviolabile, idq; oſſeæ ſubſtantiæ firmitudine ſeu natura ſeu calore externo & frigore roborata. Unde Hiſpani, *Aloyſio Cadamuſto* teſte, quem affert Magnus *Rolfinccius* l. 2. Diſſert. Anat. c. 9. ducturi novos milites in Inſulam D. Thomæ Augulam vicinaq; æquatori loca, id inprimis inculcabant, ne cum incolis conflictaturi, unquam ipſorum caput peterent, experientiâ docti protinus enſem diſſilire. Mirum narrabo, ſed pro teſte advocabo Virum Illuſtriſſ. & omni fide dignum Dn. Marvitium, Ser. Elect. Brandenburgici Legatum ad Auguſtiſſimum Daniæ Regem. Bovi ſylveſtri, vulgò Uhrox, qui in Muſcovia & Boruſſia frequens eſt, tam firma vivo eſt frons, ut grandioribus globulis bombardarum non potuerit Sereniſſimus Elector in venatione, frontem perfodere aut occidere; at demortui calvaria ſtatim, etiam levioribus globulis, pertunditur. Qvum id mihi Nobiliſſimus Vir inter Muſæi mei ambulacra narraret, ſubiit animum admiratio, cauſamq; vel in cranio vel cute quæſivi. In cranio vivo lentum humorem ſuſpicabar obfir-

obfirmare os, quod exſiccum facilius diſſilire in partes poſſit. De cute denſa & mobili ut cogitarem Phocas effecit, qui in littoribus Iſlandiæ ſub rupium antris dormiturus ut ab inſidiantium piſcatorum fuſtibus tutum caput oculosq; muniat, cutem piloſam craſſiuſculam ſed rugatam ex fronte demittit, oculosq; ea velat, unde, quia hac parte imbecilli maximè à piſcatoribus fuſte petitur, ſecurè dormit, nec niſi excitatus occidi poteſt, quando nempe retracta cute, oculi & frons patent. His conjecturis tamdiu lectores paſcam, donec ex cranij inſpectione accurata, certioribus rationibus animum ſciendi cupidum exſatiare poſſim. Ejuſdem Legati relatione, pili ex media bovis fronte avulſi, moſchi odorem ſpirant.

HIST. LXXXVII.

Vermes in ovo.

QVum in horto meo foderem ad aliquot ulnarum profunditatem, inveni ovum antiqvum ſuo cortice obvelatum, ſat magnum, quo rupto vermis prodiit craſſus nigerq; picis inſtar, & poſt tot annorum lapſum

ſum, vivus adhuc & ſe movens. Gallinaceum fuiſſe ovum nullus dubitavi, nec ulla ſui parte abludebat figura. Diutina verò mora putredo fuit concepta, & exinde enatus vermis. Niſi in ſemine putrido vel gallinæ vel galli referenda malignitas. Diligentiſſimus Philoſophus *F. Licetus* lib. 2. de Monſtr. c. 87. gallinam domi aluit quinque digitos habentem in utroq; pede, quæ poſt ova multa mediocria, puſillum edidit, ſine luteo, in cujus albumine ſerpens, ac veluti vermis erat, in quem luteum mutatum fuiſſe ſuſpicabatur. *Aquapendens* quoq; in ovi luteo vermem ſatis magnum inter comedendum deprehendit, quò mire commotus, diu exinde ab ovorum conſueto eſu abſtinuit. Priori anno, qvum exercitus Confœderatus in Cimbria noſtra hybernaret, in cœna Chiliarchæ oblatum in ferculo ovum ſorbile, ſed duriuſcule coctum, quo diſſecto vermis ruber eximebatur. Paſſim ſimilia exempla referuntur. Serpentes ſi quando ovo includantur, dubium non eſt quin gallinæ angvium compreſſionem ſenſerint. Teſtata id eſt laudato *Liceto* famula Julia, quæ dum apud ſuos degeret, non ſemel obſervavit gallinam ab aſpide comprimi, cujus ova fota, non pullos, ſed parvos excluderent

rent ſerpentes, eamq; diluculo egredi è domo ad radicem quercus, ibi crocitatu maritum aſpidem vocare, totam diem cum eo commorari, frequenter illi ſuccumbere, ac non niſi ſero ad tugurium regredi. Nec dubitandum, quin, ubi monſtra in ovis reperiuntur, ſive à gallis Indicis ſive aliis avibus domeſticis gallinæ comprimantur. De baſiliſco quæ veterum traditio operoſè tradit, nihil addo, quia hoc argumentum exſpectamus à *Ludovico Kepplero* magni illius Mathematici Johannis Keppleri filio fusè pariter & eruditè pertractatum. Baſiliſco ſimilem pullum in ovo invenit Regiomonti, qui ſcribendi ipſi materiam ſuggeſſit. Ego baſiliſcos hinc inde in itinere vidi, ſed vel arte fictos credidi, vel monſtra fuiſſe. *Theophylactus Simocatus* in Natural. Quæſt. XIV. cur ova Ibidum facillimè in Ægypto gignant ſerpentes baſiliſcos, hanc rationem reddit; quod delectetur hæc avis & victitet maleolentibus rebus, gaudeatq; inprimis venenatorum venationibus. Igitur ſiquidem gallinæ noſtræ varias ſordes devorant & inquinamenta ædium, & camporum, ſeminiaq; inſectorum, facilè inde in ovo peregrina corpora excreſcunt. Reptile corpus in ovo inventum & vermem lacertæ ſimi-

ſimilem narrat *Jo. Pincierus* l. 3. Ænigm. 23. & propria & amicorum ſuorum fide. *Jo. Faber* Lynceus in Not. ad Hiſtor. Mexican. p. 773. vix fidem apud aliquos reperturum, veriſſimum tamen narrat, Romæ duo in diverſis ædibus ac temporibus cocta & aperta ova, durum unum, & alterum molle ac ſorbile, & in utroq; ſcorpionem repertum fuiſſe, in hoc vivum, in illo mortuum; habuit oculatos teſtes, etiam equeſtris ordinis in primo, in ſecundo verò familiares fermè ſuos. Miraculum vel magorum illuſiones illi ovo ſubfuiſſe credo, quod aliquando in Diœceſi Ultrajectina vidit Cl. *Martinus Schoockius* Diſſert. de Ovo & Pullo th. 133; vice enim albuminis ac vitelli, multas lini ſtupas continebat liquori per omnia aqueo innatantes; niſi & has ſtupas ab albuminis & vitelli corruptione deducamus. At temporis diuturnitate ſæpius ova exſiccantur, & nonnunquam planè abſumuntur. Credit vulgus ſuperſtitioſum pridie paſſionis dominicæ coctum ovum per integrum anni decurſum perdurare. In Germania, ſicut mihi fidem fecit *Frid. Hammericus*, inſignis ingenij & induſtriæ auditor, quovis tempore ad duritiem ſummam coctum ovum, & utroq; extremo reſectum

ſupra

ſupra menſam in cubiculo ſuſpendunt mulierculæ, donec vitream duritiem albumen contraxerit, ex quo deinde albumine, velut ex poculo, liquorem convenientem pueris epilepticis exhibent. Cæterum quod noſtri horti ovum putredinem in ſe conceperit, humidioris terræ conditioni debuit.

HIST. LXXXVIII.

Fatuitas ex frigore.

TRes nubiles puellas procus in glacie torrentis in rheda hyeme intenſa circumducebat, ſive amore juvenili, ſive conſueto luſu. Nimium verò jocus proceſſit, totiesq; gyrum hunc repetiit, ut domum reverſæ puellæ, velut extra ſe raptæ fatuæ viderentur, interrogatæ enim de alliis, de cepis reſponderunt, & heræ ſuæ negocia negligerent, & ad interrogata, niſi germanicè, nulli reſpondere voluerunt. Ad omnia negocia incapaces per 14. dies ſecreto cubiculo cuſtodiebantur, & quanquam edendi bibendiq; eſſet cupido, ad ſe tamen non redierunt, quam pelle vervecinâ calente, nuper à vervece detracta, caput frigore ſtupidum foveretur, adeò verus eſt *Hippocrates* 5. Aph.

18: Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, *cerebro*, dorſali medullæ; calidum v. amicum. Similem ſpirituum fixationem, torporemq; expertus eſt nauta quidam noſter ebrius, per glaciem minus firmam, navem adſcenſurus, dum enim veſtigium fefellit, pedesq; frigidiſſima aqua immergeret, deinde eodem frigore ferè congelatos, redeunte ad cerebrum ex calcaneis ſangvine alterato, tam mutatus fuit ab illo, ut, qui calidiſſimus aliàs fuerat, & ad omnes actiones nativa facilitate promptiſſimus, jam memoriæ ſucceſſerit læſio, & alia torporis inſoliti ſtuporisq; ſigna ſeſe prodiderint, quæ vix in melius annuo ſpacio emendare potuimus.

HIST. LXXXIX.

Pulmonibus vulneratis corporis tumor.

QVod Cent. 5. Hiſt. 12. monuimus, pulmonum vulnera plerumq; corporis intumeſcentiam comitari vel ſequi, variam mihi de pulmonum uſu ſuſpicionem nonnunquam ingeſſit. Videre enim difficile eſt, quomodo inflatio iſta corporis ex læſis pulmonibus oriatur, ſi ſolum ſanguinem

pulmones recipiant. Igitur paradoxum aliquando mihi imaginabar, ut hoc phænomenon excuſarem. Nempe flatibus abundat corpus, quibus etiam ſanguis impletur & tumet. Hic verò per pulmones eructat ſuos flatus, quibus in reſpiratione inflantur. At ſi vulnerati pulmones non apti ſint excipiendis flatibus & ſeparandis, reſtitant hi in corpore, & in tumorem elevant. Hinc primo læſionis die, quia robuſtiores adhuc pulmones, plerunq; pars tantum corporis ſuperior intumeſcit. Id evenit in Simone Ibſen in platea urbis noſtræ 24 Julij 1660 veſpertinis horis ab Auditore Belga punctim per pulmones vulnerato, cui primo die inſequenti pectus intumuit, altero abdomen quoq;, tertio die, qui vitæ ultimus, univerſum corpus. Vulnus in cadavere à Chirurgis urbis deprehenſum fuit tale. Gladius punctim inter quintam & ſextam coſtam lateris ſiniſtri penetraverat per diaphragma, quo vulnere ventriculus & pars aliorum viſcerum & lienis portio in thoracis cavitatem pervenerant. Ventriculus ipſe vulnerantis gladij injurias ſentiit. Siniſter pulmonis lobus perforatus, vulnere ſupra cor, ad rectum pulmonem pertranſeunte & tertiam coſtam per-

fodien-

Digitized by Google

ſodiente. Forſan tamen tumet corpus, quia pulmonibus læſis circulatio ſeu motus ſanguinis tardatur, unde refrigeratur corpus, flatibusq́; genitis intumeſcit.

HIST XC.

Monſtroſa caro capiti adnata.

DUæ monſtroſorum Infantum in Dania noſtra A. C. 1660. natorum hiſtoriæ ad me pervenerunt. Suis quidem provinciis diſtincta ſunt monſtra, ſed in figura ferè conveniunt. Primum in Cimbriæ Diœceſi Ripenſi ad me detulit Epiſcopus ibidem vigilantiſſimus *D. Petrus* Kragelund, inſigni humanitate & eruditione inclytus. Alterius in Selandia noſtra nati deſcriptionem mihi communicavit Vir Cl. M. *Martinus Cheitomæus* Eccleſiaſtes Wentzlov. & Hylleſtedenſis, amicitia mihi & affinitate junctus. Elegans primi monſtri eſt figura, ſed in capite deformitas quædam notatur. A ſuperciliis enim ad verticem uſq; caro cruenta viſitur, figuram phaſeoli, ſeu renum humanorum exactè referens, convexa parte frontem ſpectante. Utrinq; ad tempora crinium cirrhi dependent. Tri-

bus ſuſpiriis editis nuper natum exſpiravit. Altera ſequioris ſexus in pago Biſſerup, filia Chriſtierni Ivari, magnitudine vix 20 hebdomadarum abortum æquabat. Oculi tamen juglandibus æquales, frons exigua & prope nulla, quam ſupernè inſtar cincinnorum hinc inde tenelli cingebant capilli. Inprimis verò horrendum aſpectu erat occiput, additamento carneo deforme, quod ſpeciem corollarum referebat, quibus comæ defectum mulieres elegantiores reſarciunt, intus cruore refertum. Os patulum utramq; Dentium ſeriem in gingivis oſtendebat. Caro adnata materiam indicat ubertatem. Cætera ab ordinario naturæ curſu vix aberrant. Nam & pili tenelli tenera puerorum capita diſtinguunt, & dentes in alveolis deliteſcunt, qui in robuſtioribus ante nativitatem prodeunt, tumq; eloquentiam portendere creduntur. Religioſi tamen carneam molem, cirrhoſq; pœnam & numinis iram ſignificare, perſuadere nobis conantur, ob ſimilem mitram qua feminarum noſtrarum capita ornantur, & pendulos cirrhos. Non negamus DEum etiam rebus naturalibus pro ſignis uti, ut in Iride; ſed vel iſtum feminarum cultum DEo diſplicere magis quam alium, probari debet,

vel

vel propter iſtum habitum, monſtrorum cauſam naturalem non eſſe. Exiſtimo n. imaginationem hæc monſtra ſignare. Plerumq; enim lautioris fortunæ feminæ pendulos crines & tale capitis tegmen geſtant, quibus prægnantes aliæ pauperiores, accuratius ex invidia cogitatione intenta, facilè formatricem facultatem ad caput fœtus impellunt.

HIST. XCI.

Cerebrum Bovis lapideſcens.

Actum eſt de cerebri nobilitate, ſi vera ſunt quæ narrabo, ſicut ſunt veriſſima. Nimia humiditate ſubinde in lue Venerea diffluit, de qua *Horſtius* Pater in Obſervationibus. Orphano Amſtelodamenſi apud *Fontanum* in Reſp. Med. nullum erat cerebrum, ſed ſola membrana quæ aquam continebat. Subinde ad contrariam ſiccitatem vergit, & vel in lapillos per partes induratur, vel univerſum in petram immutatur & ſolidatur. In cerebro repertos lapides teſtantur *Kentmannus* l. de lapid. in corp. *Wierus* de Malef. Affect. c. 16. n. 2. C *Gemma* l. 1. Coſm. c. 6. *Hollerius* in Schol.

45. *Marc. Donatus* l. 4. Hiſt. Mir. Med. c. 30. Lapidea materia craſſa meningi adnata viſa eſt & depicta *Iſ. Cattierio* Obſ. 15. ad P. Borell. Sed rariſſimis exemplis annumerandus eſt Bos Suecicus, qui ſuperioribus annis mactatus eluſit lanij ſecurim ab ictu reſilientem ob cerebrum univerſa ſui ſubſtantia & mole in lapidem converſum. Ille bos in paſcuis quidem cum aliis bobus incedebat, ſed ſemper prono in terram capite, ut macie confectus tandem culinæ vulgari adjudicaretur. Cerebrum ipſum lapideum cum cranio adhuc fertur aſſervari in prædio Comitis Oxenſtiernij, ubi hæc acta ſunt, promiſitq; mihi Illuſtriſſimus Legatus *Stheno Bielcke* quamprimum vel accuratam ejus iconem, vel cerebri fruſtulum. Cujus fide etiam hiſtoriæ veritas confirmatur, quippe qui ipſe in Cognati ſui prædio cerebrum vidit. Idem laudatus Vir, Rerum naturalium amantiſſimus ſcrupulum mihi exemit qui animo meo ante inſederat. Qvum enim prima ad nos fama rem novam & hactenus inauditam deferret, dubitare cœpi & hinc inde cogitationes volvere, quo modo integer bovi remanſerit motus ad horam uſq; à lanione indictam, cerebro lapideo, ſuſpicabarq; in vivi bovis cerebro indu-

induraro ſinus patulos remanſiſſe, per quos liberè ſpiritus animales ex arteriis nervisq; commearent, alioqui bovi omnis fuiſſet motus dudum ademptus. Nec vana fuit conjectura. Teſtabatur enim mihi Illuſtris Bielckius, foraminula hinc inde in lapide nominato conſpici diſperſa & perforata, per quæ paleæ poſſint intrudi.

HIST. XCII.

Fœtus extra uterum in abdomine inventus.

MIrabilem caſum Muſſipontanum ad me miſit Vir genere, eruditione & fama Clariſſimus *Jo. Dan. Horſtius* Archiater Darmſtadianus excellentiſſimus, quem Gener ejus D. *Laur. Strauſſius* Vir itidem præclarus ab amico Gallo accepit, dignam certè quæ inter rariſſima naturæ oſtenta referatur. Mulier Muſſipontana annum ætatis ſexageſimum prætervecta, exili corpore & exigua admodum ſtatura, jam pridem orbata conjuge (ex quo aliàs non ſemel prolem ſuſceperat) ſex prope luſtris cælibem agebat vitam. Aſt ſexto Kalendarum Auguſti cIↄIↄc LIX, neſcio quo abrepta impetu

ſeſe è ſuperiori cubiculi feneſtra in ſubjectam planitiem horâ ante meridem ſextâ egit præcipitem, cum vix ullum antea dediſſet prævium aut phantaſiæ, aut rationis aberrantis argumentum. Ex tam violento caſu graviter ſaucia, duas circiter poſt horas extincta eſt. Sed quoniam dum in vivis ageret, non raró apud Medicos conqueſta fuerat, ſe lapideam utero geſtare molem, (ſentiebat enim tribus infra umbilicum digitis pondus & permoleſtum & grave, ex quo & injuſſæ alvi dejectiones, & invitus plerumque urinæ fluxus, immò & ipſius ani procidentia ſequebatur) placuit extiſpicio rem totam diligentius indagare: Itaque Dominus *Pillement*, Medicæ Facultatis Decanus, ac Primarius in Alma Univerſitate Pontimuſſana Profeſſor, demortuæ cadaver ſecari juſſit & reſectis primum communibus abdominis integumentis, adactoque omentum uſque ſcalpello, emerſit illicò moles, quæ quadrimi infantis capiti magnitudine nihil cederet. Totam hanc molem natura in orbem ferè conglomeraverat, & duriſſimo involucro obtexerat, quod bubuli ventriculi tunicas colore referret & craſſitie, Bajulæ mulieris corpori quinque firmiſſimis retinaculis cohærebat & quatuor quidem

dem vincula ex totidem peritonæi lateribus orta, pendulam molem fulciebant, quintum verò eandem tenuioribus inteſtinis incumbentem, iisdem etiam tenacius annectebat. Ubi primum tegmen illud duriuſculum immiſſa removit novacula, ſtabulans in medio fœtus facilè deprehenſus decuſſatis in crucis formam brachiis, & utraque tibia communem aliis in utero ſitum retinente: illa tamen eadem membra, nullis diſtincta intervalliis, ita cum reliquo corpore coaluerant, ut inſpicientium aciem oculosq; propemodum ſubterfugerent; quamvis nec hanc, nec alias hujuſce corpuſculi partes ulla in re mancas aut mutilas ipſa formatrix vis reliquerit. Nam cerebri veram germanamque ſubſtantiam utraque tunica, & obducta inſuper cranij compago eaque duriſſima coercebat. Claudebantur etiam ſub Epigaſtro & hypogaſtro reliqua viſcera, ad vitæ operationes neceſſaria, cor nempe, pulmo, jecur, ventriculus, lien, renes, diaphragma, fellis folliculus, veſica, inteſtina; nec defuit etiam uterus ſuis quoque omnibus numeris abſolutus, quoque uno indicio infantis ſexus innotuit. Jam aliquatenus lapideſcere cœperat, vultu præſertim in gypſeam quandam duritiem abeunte, nec ultra eam magnitu-

nitudinem excreverat, quam juxta conſuetas naturæ leges ſemeſtris fœtus aſſequitur. Cæterum uterus ipſe mulieris tam illæſus intactusque repertus eſt, quam qui maximè, nullo prorſus obductæ cicatricis veſtigio. Si quidem vera ſunt quæ narrantur, non poſſum aliud divinare, quam quod fœtus hic primo fuerit in Tubis uteri conceptus. Nam *Marquardus* in Empir. Pract. vidit molam in vaſis ſpermaticis juxta uteri fundum genitam. Et *Riolanus* l. 2. Anthrop. c. 35. quatuor exempla refert fœtuum ex Tubis uteri exſectorum, quæ digna ſunt quæ ibidem relegantur ad hujus hiſtoriæ oppido raræ illuſtrationem. Semen verò virile ad Tubam uteri pervenire facile poteſt, ſive per anfractuoſos vaſorum ductus, ut conjicit *Riolanus*, ſive per tunicam uteri patulam, hacq; parte, teſte *Veſalio* l. 5. c. 15. tenuiorem. Quotidiè certè nobis inſcientibus hæc diverticula ſemen quærit, ut ibi præparetur. Hinc primo menſe ex obſervatione *Harvei*, nihil ex ſemine in utero invenitur, qvum revera immiſſum fuerit. Dubio procul in tubis tamdiu deliteſcit ut cum femineo copuletur. At quando regreſſus denegatur à quacunque obſtructione, in Tubis fit conceptus, quas dilatari poſſe, hydropica apud

Tulpi-

Tulpium l. 4. Obſ. c. 44. fidem facit. At in his anguſtiis adultior fœtus comprehenſus vel ſuffocatur ſecumque matrem in exitium trahit, quod exempla Riolaniana teſtantur, quando nempe membranæ Tubarum fortiores ſunt, vel ſi tenuiores, vi perrumpit tubas & in abdominis cavitatem ampliorem devolvitur, quod in hac hiſtoria Muſſipontani fœtus eveniſſe ſuſpicor. Ex utero conceptum fœtum perrupiſſe crederem, niſi author hiſtoriæ nobis perſuaderet, uterum prorſus illæſum fuiſſe ſine ullo cicatricis veſtigio, quod forſan in tuba uteri obſervaſſet diſſector, ſi hanc particulam examinaſſet. Facilius certè per tubam diſruptam prodit infans, quam per uterum ſua natura & ampliorem & robuſtiorem. Ex hoc tamen rupto aliquando emerſit fœtus & in abdomen expulſus. *Hildanus* Cent. 1. Obſ. 64. diſſecuit aurificis uxorem, in qua matrix, erumpente infante lacerata, ejusque caput in lævam ventris capacitatem demiſſum. Ex eadem uteri ruptura fœtum nunc caput, nunc pedes, manusve, qua data via eſt, in abdomen exſerere, nunc toto corpore maternis inteſtinis incumbere prodidit *Veſlingus* Syntagm. Anat. c. 7. Interdum foras per apoſtema oſſeæ fœtus particulæ prorum-

rumpunt, vel per umbilicum quod vidit *Albucaſis* l. 2. Chir. c. 76. & *Marcellus Donatus* l. 4. Hiſt. Med. Mir. c. 22. vel per inteſtinum rectum, quam viam annotavit *Marſilius Cagnatus* l. 4. Var. Obſ. c. 9. *Jo. Langius* l. 2. Epiſt. Med. 39. Quomodo verò fœtus Muſſipontanus vinculis ſuis adalligatus deinde ſit inteſtinis tenuibus & peritonæo, difficile non eſt illi divinare, qui in ſteatomatibus, atheromatibus aliisq; anomalis tumoribus ſimilia à Natura ad alieni corporis robur & nutritionem efformari vidit. Tandem cur poſt inſolitam moram & inſvetum carcerē in lapidis duritiem cœperit degenerari, manifeſtum eſt ex Lithopædio Senenſi. Plura de hiſtoria hac Muſſipontana ad Clariſſimum *Horſtium* ſcripſi, quæ in Centuriis noſtris Epiſtolarum Medicinalium inveniet Lector.

HIST. XCIII.

Lapis in Corde Cervi.

V*Ierus* refert de Malefic. Aff. c. 16. in corde Maximiliani ſecundi Imperatoris palpitatione cordis gravi frequenter affecti, inventos eſſe tres lapillos quantita-

te

te piſorum. Alia exempla in hanc rem conferunt *Schenckius* l.2.Obſ.Medic.195. *Zacutus* l. 1. Prax. Adm. Obſ. 131. *Hollerius* l. 1. de Morb. Inter. c. 50. C. *Gemma* l. 1. Coſm. c.6. p. 100. *Jo. Rhodius* Cent.3. Obſ.4. Nuper ex Norwegia lapidem ſecum attulit Illuſtris Vir Dn. *Owenius Bielcke* Regni Norwegiæ Cancellari⁹, quem Regio Muſæo ſubjeſtiſſimè dicavit, ex corde cervi exſectum, globoſum, ſatis magnum & ponderoſum. Quantum verò conjectura aſſequor, globulum plumbeum in corde excepit cervus, & cruſtam tractu temporis calore & humorum viſciditate lapideam induxit, quemadmodum de Cervo narrat *Jacotius* in Coac. Hipp. qui ſagittam diu in corde ſervaverat. Ut id firmius credam, pondus perſuadet, quod plumbi eſt potius, quam lapidis. Ita *Borellus* Cent.2. Obſ.61. lapidem à tormento bellico capiti illatum fuiſſe ſuſpicatur, qui deinde magna omnium admiratione exivit.

HIST. XCIV.

Veneris immoderatæ damna.

TAm ſua dulcedine juvenum animos capit Venus, ut ſatiari ſubinde non poſſint.

Digitized by Google

ſint. Damna verò exinde luunt haud contemnenda, niſi modum ſervent. Nimia enim venus ventriculum refrigerat & cerebrum, cordis calorem exhaurit, vel incendit, & omnes in corpore humores turbat, unde nauſea, ventriculi imbecillitas, catharri, nervorum ſtupor tremorq; vires proſtratæ & syncope, deniq; febris à bile concitata. Ex ſtatica rationem reddit *Sanctorius* Sect. 6. Maxima in primo congreſſu cupitæ amicæ voluptas. Hinc delinquitur ſæpiùs & gravius. Liburni mercator Belga deſideratæ amicæ complexu primo tam avidè & inſatiabiliter fruebatur, ut in ſinu ipſo expiraverit. Alius ſponſus immoderatæ veneris primæ pœnam luit, perpetuâ nervorum imbecillitate. Tertium novi, qui primo noctis conflictu crebriore in febrem incidit acutam, cum virium defectu, ventriculi ſubverſione, immoderata ſiti, lypothymiis, delirio, inſomniis, inquietudinibus, ut pœnè de novo ſponſo fuerit conclamatum. Solis verò cordialibus generoſioribus & quiete hominem reſtitui, & cautius piſcari monui. In primis igitur novis nuptis parcimonia commendanda. Deinde ante nuptias corpora expurganda ſunt, ſic enim ſubſequens motus minus

minus damni inferet. Unuſquisq; autem ex ratione ſibi temperabit,& fræna libidini injiciet.

HIST. XCV.

Pix Arthriticis ſalutaris.

NUnquam tam iniqua fuit Natura, ut cuiq; regioni ſua remedia denegarentur, quibus morbos incolarum profligarent. Domeſtica certè nobis ſunt medicamenta quæ ſola ſine externorum commercio morbis noſtris inquilinis medeantur. Sed ſemper majori fuco ſeſe externa adornant, & nota patriæ bona inferiora judicantur. Hinc tanto mercatorum commodo, ſed ægrorum diſpendio, ex Indiis Balſama precioſa afferuntur, quibus ingens precium laudem conciliavit. Sed ſi domi quæramus, inveniemus quæ cum externis conferri poſſint, imò & anteponi. Argumentum hoc dignum eruditorum induſtriæ alibi nos tractavimus, & viam monſtravit *Beverovicius* in αὐταρκείᾳ Bataviæ. In rei fidem unum ruſticorum noſtrorum remediū proferam,quo arthriticos ſolent ſublevare. Pix ſeu axungia Norwegica eſt viliſſi-

liſſima. Hac illinunt affectas manus à cubito ad digitorum extrema, & pedes à genubus ad ſummos pedum digitos, quotieſcunq; arthritici dolores inſurgunt, idq; ſpacio dierum quatuordecim. Teſtantur tum non ſolum mitigari dolores articulorum, ſed tophos ipſos reſolvi excidente tartaro impacto, & vel in totum auferri moleſtum malum, vel inducias aliquot annorum dari, quibus elapſis, ſi recurrat affectus, repetunt eadem felicitate eodemq; modo picis inunctionem. In Inſula noſtra Samo inter ruſticos pervulgatum remedij genus, narrante ejusdem Inſulæ Præfecto Jano Brun, bonæ fidei Viro. Et aquæ exinde exſtillatæ plus ineſſe virium alius me monuit. Facili & parabili in ſeptentrione remedio prompta ſubeſt ratio. Reſina enim hæc ex abiete pinguibusq; pini lignis per deſcenſum eliquata, inſignem vim reſolvendi, emolliendiq; habet, ut etiam vulvæ durities, ſedis tubercula diſcutiat, ſtrumasq; rumpat apud *Dioſcorid.* l. 1. cap. 95. Exterſorium eſſe ac concoctorium diſcuſſoriumque, & tumores concoquere *Æginetha* l. 7. *Oribaſius* l. 15. Collect. prodiderunt. Et ad duros tumores & inconcoctos concoquendos cataplaſmatis indunt *Galenus* l. 8.

De

De Simpl. Med. Facult. *Oribaſius* l. 2. De Virt. Simplic. Balſamum ſuum ſulphuris ad tophos articulorum emolliendos, leniendos, & diſcutiendos *Rulandus* Cent. 2. Curat. 92. mirè laudat. Cui ſubſtituunt jam Agyrtæ & pro Balſamo ſulphuris ad nos deferunt ſub ſigillo, reſinam pini ex ſylvis Tyrolenſibus, precio quidem illo inferiorem, neutiquam virtute. Olei ſulphuris utilitatem in arthriticis expertus eſt Ampliſſimus *Tulpius*, Medicinæ decus lib. 4. Obſ. c. 56. Veram Balſami Rulandini deſcriptionem ex communicatione Quarrei ſignavit *Prævotius* in Rem. ſelect. quam pro commodo Lectoris hic addo:

R. Florum Sulphuris ter ſublimat. (nam una vice tantum ſublimati difficilius ſolvuntur) Unc. 3.

Olei Roſati compl. Lib. Sem.
Vini Rubri opt. Unc. 4. circiter.

Macerentur per octiduum leni igne, atq; aliquoties agitentur: tum coquantur lento igne, & ſemper movendo, ad vini conſumptionem. In colatura diſſolve

Therebinthinæ clariſſimæ Unc. 2. Sem. & ſervetur ad uſus.

HIST. XCVI.

Penis gangræna.

DUos in patria novi, qui Indicas merces ſecum juvenes invexerunt, pœnam ſenes illâ corporis parte luerunt, quæ prima fuerat in expeditione. Primi ſupra ſexageſimum annum nati penem gangræna invaſerat, quem, qvum nullâ remorâ progreſſus ejus inhiberi poſſet, totum ad abdomen usq; reſecuit Regius noſter Chirurgus, ſangvinemq; ex voto ſine igne ſtitit; ſed eo truncato membro, ulterius tamen luis inveteratæ malignitas ad ingvina ſerpſit, mortisq; candidatum interemit. Alteri adhuc ſuperſtiti, cujus membrum eadem labes deturpavit, idem ominor, ſi delicatus eſſe perrexerit. Membri tamen infectam partem ante ſuaſi ut præcideret, quam ad totum diffundatur. Nam conſilio *Celſi* l. 7. c. 33. *nihil intereſt an ſatis tutum præſidium ſit, quod unicum eſt*. Quodverò reſecto priapo, ſiſti non potuerit gangræna, vel imputandum eſt luis malignitati, quæ etiam inter ipſam operationem tacitè ſerpit & inficit adjacentes partes, vel forſan, quia ignem ſeu candentia ferramenta & cauſtica actualia

nimia

nimia religione noſtri timeant, quæ tamen in hoc caſu inter prima præſidia commendant, & ſalutaria experti ſunt *Jo. de Vigo* l.2. de Apoſtem.tr.4. c.8. *Aquapendens* in Oper. Chir. *Tulpius* lib. 4. Obſ. c. 33. *Scultetus* Arm. Chirurg. Obſ. 60. Dici enim non poteſt, quam feliciter putredinis malignæ reliquias ignis abſumat, ut ſola uſtione Arabica in Noſocomio Incurabilium plurima gummata ſeu tophos venereos in cranio & tibia lue Venerea infectorum percurata Neapoli viderim apud *M. Aur. Severinum*, Chirurgum cordatum, qui ipſe quoq; lib.2. Pyrotechn. Chirurg. part. 1. c. 90. ferro utens & igne, multos ſe teſtatur ſervaſſe, quibus ad uſq; pubem aſſiduâ putredine peredebatur penis. At cauterium actuale hoc in paſſu periculoſum judicat *Fabricius Hildanus* Cent. 3. Obſ. Chir. 88, tum quod meatum urinariũ obſtruat, tum etiam veſicæ & circum jacentium partium inflammationem facile excitet. Cæterum priori difficultati ſubveniet inſtrumentum ſeu ſyringa à *Paræo* l. 23. c. 9. & à *Jo. Sculteto* Tab. 12. Fig. 12. delineata, quæ canali urinario indi poteſt. Alteram averruncabunt injectiones frigidorum per Catheterem, & defenſiva exteriora propoſita à *Guidone de Cau-*

liaco tract. 4. doctr. 2. c. 7. Noſtris verò hominibus tantus ignitorum inſtrumentorum metus innatus, ut mori malint, quam hoc modo, ut credunt, comburi. Dum hæc ad prælum poſcit Typographus, inſtituto huic inſerviens exemplum Baſileâ ſubmittit Vir Clariſſimus *D. Georgius Segerus*, amicus optimus, quod non gravabor publicè hic repetere: Præteriti anni 1659. die 10. Novembr. Baſileæ Chirurgus Schwartz lithotomus & Oculiſta egregius, Civi cuidam & tubicini, annos jam 70 præter propter nato, membrum virile cancroſum planè & corruptum feliciter præſente Cl. Platero circa radicem detruncavit, & cum ablatâ parte hæmorrhagia inſignis futuram impediret, guttulâ una atq; alterâ olei glacialis antimonialis vaſis immiſsâ ſanguinem ſtitit, atq; brevi tempore ægrum reſtituit. Finita curatione bonus ille ſenex officio ſuo iterum fungi cœpit, multisq; riſum commovit. Sed non diu duravit hæc felicitas. Nam ante menſem, & quod excurrit, in inguine dextro tumor cancroſus exortus, ſpatio brevi tantum nactus eſt incrementum, ut non tantum duorum pugnorum magnitudinem jam excedat, ſed & apertus fœda ac putida eructet, ſpesq; in ſola

jam

jam poſita ſit morte. Felicius gangræna imminens in milite noſtrate eſt extincta, forſan quia ab igne inducta, de qua ſequentem mihi hiſtoriam amicè obtulit, qvum hæc ſcriberem Clariſſimus Medicus D. *Joannes Nicolai Naſcovius.*

In conflictu cum hoſte ad portam Urbis Naxſchouvianæ Septentrionalem vulnus in Scroto inter virgam & teſticulos accipit Vir non vulgaris officij. Partem dextri teſticuli attigerat globulus. Inde iſtius tumor magis magisq; invaleſcebat. Totum verò ſcrotum lividum, nigrum & ad Gangrænam vergens. Ipſum quoq; membrum, quo Viri ſumus, adeò inflatum, ut vix amplius appareret. Chirurgus vulnus pro lethali habebat. Reſtitutus interim æger priſtino vigori, officij partibus ſtrenuè adhuc in Holſatia perfungitur.

HIST. XCVII.

Jaculum in Diaphragmate latens.

PAſtoris in pago Cimbriæ noſtræ Hundſlund Dn. Severini Petri vacca tuſſica diu vixit, & vitio pulmonum laborare credebatur, quod frequens hoc 1660

Digitized by Google

anno inter pecora noſtra malum fuit plurimis damnoſum. At qvum vertente anno ad uſus culinarios mactaretur vacca, pulmones ſine vitio inventi, ſed in diaphragmate repertum ferri fruſtulum; digiti longitudine, jaculi formâ, anguſtum, & cruſtâ lapideâ obductum, quod tubere ſingulari diaphragmatis carnoſi craſſitiem ad tres digitos extenderat. Divinare neſcio, qua via ferrum huc penetraverit. An deglutitum, an ſagitta extrinſecus immiſſum? Quamcunq; enim eligamus viam, plenis obſita erit difficultatibus. Poſtrema tamen veræ eſt ſimilior, quanquam cicatricis externæ veſtigia rudior & incautior lanij manus neglexerit. Paſſim enim inſolentiores Sarmatæ in exercitu Fœderatorum ſagittis obvia animalia quæq; inſectabantur, & carnoſæ ſepti tranſverſi parti facilè infigi jaculum potuit. Naturæ verò ſtudium admiramur, quæ qvum nuſquam infenſam rem poſſet expellere, inducto quaſi operculo muniverit, & annuo ſpacio pertulerit. In aliis tuſſientibus bobus eodem anno ſæpius magno noſtrorum damno mactatis, pulmones vel deficere obſervavimus & maxima ſui parte abſumptos, vel coſtis firmiter

miter annexos. Ne porrò ea peſtis jumenta inficiat tabeſq; conſumat, expertum ex Veterinariis noſtris remedium producam, quod rarò fallere multæ anni hujus experientiæ, quarum quoq; ſum teſtis, teſtantur.

Recipe Antimonij Unciam Unam, Sulphuris Unciam unam. Tere utrumq; per ſe, & cribro percola. Tum ſume polentam contritam, & cerevisiam calidam, vel fontanam, & invicem omnia ſubige, ut fiat maſſa ovi gallinacei magnitudine, vel pulmentum. Bovi hæc per os diffunde capite benè elevato, donec deglutiverit. Æger bos vel vacca tuſſica veſperi domi continenda, ut nihil illa nocte comedat. Mane verò exhibeatur jejuno jumento prædictum remedium, nec eo die & nocte ſequenti quidquam pabuli concedendum. Poſtridiè edat bibatq;. Junior bos media doſi contentus ſit, ſed vacca imprægnata ferè conceptum rejicit. Solet hæc medicina largius ventrem movere. Poteſt etiam ſanis animalibus injici, ut à tabe & tuſſi præſervet. Notandum verò, ut accurata lance expendantur doſes pro ſingulis jumentis. Sulphur ad tuſſientes quoq; laudat *Vegetius* l. 3. Veter. c. 68.

HIST. XCVIII.

Globulus bombardæ ex ore per anum expurgatus.

MEnſis Junij Sexto decimo die A. C. 1659. plumbeus globulus vi majoris bombardæ os cujusdam militis officialis in obſidione Naſchoviana ingreditur. Linguam ſuo impetu tangit, contrahit, ſeriem dentium inferioris maxillæ deſtruit, perq; gulam demiſſus interjectis quinq; dierum intervallis, beneficio lenioris medicamenti per alvum dejicitur. Elapsâ trium ſeptimanarum periodo, lingua faucesque divino auxilio ita reſtituuntur, ut deglutire cibum, vocemq; ut antea expeditè formare potuerit. Sanus etiam nunc in Langlandia degit, artis operi intentus. Curandi modum ac methodum unà cum ipſo globulo oculis Sereniſſimæ Reg. Majeſtatis devoto animi cultu ſubmiſit D. *Joannes Nicolai Naxſchovius*, patriæ Medicus pereruditus, amicus dilectus, cujus humanitati hanc rei raræ hiſtoriam debeo. Nempe obſtaculo dentium globuli vis fracta fuit, jam antea itineris longitudine evanida, unde ſine damno aut partium, quas per-

pertranſiit, aduſtione, deglutitus & accedente medicamenti irritatione propulſus.

HIST. XCIX.

Fruſtum Ferri per lotium, crus, dorſum redditum.

UBiq; ſibi natura viam in corpore humano ſternit, humanis mentibus ſenſibusq; incognitam, qua alienas res ſibiq; moleſtas expellat. Morborum criſes mira loqvuntur, nec minus improbo Marte injecta tela, globuli, enſes. Temporum noſtrorum eſt infelicitas quod larga horum nobis ſuggerantur exempla. In oppugnatione urbis noſtræ miles ſtipendia Svecica merens, fugiente corpore excepit in epigaſtrio fruſtulum acuti ferri, ex illorum genere quibus bombardæ majores onerari ſolent, noſtris Skraa. Saucius cum aliis numero quingentis ad civitatem vicinam Roeſkildiam defertur, ut Chirurgorum ad id conductorum opera curaretur. En præter exſpectationem fruſtum illud acuti ferri per lotium excernitur, non ſine ingentibus torminibus, quæ ſenſim remiſerunt, & ho-

mo induſtria Chirurgi Cornelii artis ſuæ periti, brevi convaluit. Exiſtimo veſica læſa penetraſſe ad urethram ferrum, quia nulla patentior via patet. Veſicam autem læſam conſolidari, contra *Hippocratis* ſententiam, obſervarunt paſſim Medici, & nuperrimè Ampliſſimus *Tulpius* l.4. Obſ. c.29. Expeditiſſima hæc eſt ferri commeantis ſemita, quam libentius eligo. Occultas corporis ambages aliàs quærit natura, ubi manifeſtæ deſunt, idqꝫ ita prudenter moderaratur, ne ulli parti nocumentum afferatur. Duobus exemplis naturæ induſtriam illuſtrabo pariter & laudabo. De femina Veneta mihi nuper ex Italia redux narravit D. *Henricus à Moinichen* Anatome & Chirurgia præclarus, acum deglutiente, quæ exinde quadriennio nil paſſa eſt, tandem tamen pungentem in cruris interna parte dolorem cum levi tumore obortum: Patrem Viri expeditiſſimi *Antonij Molinetti*, digniſſimi in Theatro Patavino Veſlingij Succeſſoris, accitũ primo die diachylon ſimplex admoventẽ, tertio die apicem acus cutem perforantem volvella extraxiſſe. Mirabilis eſt altera hiſtoria trium ferramentorum notandæ longitudinis ex inſanientis dorſo & abdomine extractorum, qui ante menſes decem

cem ea voraverat, quam Vir Clariſſimus *Jo. Cl. de la Courvee* fuſius conſignavit, cauſasq; eruditè expoſuit, in Diſſertatione hujus argumenti Pariſiis edita 1648. Actam rei ſeriem in gratiam curioſi lectoris attexam, cæteris omiſſis quæ ad illuſtrandam hiſtoriam poſtea à Viro laudato ſubjunguntur, quæ ex illo repetat, cui volupe: Diſtat Lutetiâ leucas quatuor, vicus quidam, Taverai vocant, quo non ita pridem veni ægrum viſurus præſcriptisq; his quæ ad ſalutem videbantur de diverſis cum chirurgo, tum ad artem pertinentibus, tum etiam alienis placuit una fabulari, inter alia retulit Pontizara ex urbe proxima huc ſe medicos aliàs contuliſſe, ut oculati teſtes fierent rei novæ, & quæ mentis captum ſuperat, adhæc cultri lamellam oſtendit exeſa acie, ac quaſi ſerrata, quam tres ante annos ex inſanientis dorſo ſe extraxiſſe aſſeruit, eumq; adhuc vivere, imò abhinc ferrea quædam devoraſſe, & abdomine perforato ea ſponte eduxiſſe teſtatus eſt; hæſit animus dubia fide an jocaretur, an verum diceret, ſed cum veriſſimum ſubjunxerit, hominemq; vocari Petrum Yuin, Roberti filium loci incolæ, rogo ut ejus domum conducar quo de toto negotio certior eſſem; nec mora progredimur,

mur, utrumq; parentem domi reperimus, eſt enim ſtruthiocamelus noſter juvenis ſextum circiter ſupra vigeſimum ætatis annum agens viribus firmis & robuſto corpore, aperto quo ferebar deſiderio repoſuit parens ſic eſſe; forte fortuna mater annos ante quatuor cultellum offenderat, inferiori aciei parte deauratâ, manubrioq; eburneo, qui vix longitudine palmam excedebat, & latitudine digitum, hunc ut bellum non ſemel oculis deſignaverat inſaniens, cum tandem ſubripuit; Sed veritus ne frater furtum detegens vi repeteret, ipſum unà cum vagina multo filo circumducta devoravit; elapſis quibusdam diebus ano vaginam dejecit integram, ſed ſolam cum vidit, quam cultro bene colligatam nunquam ſine ipſo ſperabat exituram, non leuiter perterritus eſt, unde ſollicitus rem totam aperit, conqueritur gemebundus diſtrictum gladium ſe in ventre gerere, toti familiæ miſerationem commovit, & ſibi metum: Effluxerunt decem menſes & facti memoria, cum ecce nauſeâ, vomitu, cardialgiâ, & punctorio dorſi dolore miſer conflictari; accurrit Chirurgus venam tundit, & quid in parte poſteriori tantum dolorem excitaret intuitus, ferreum videt emicans, clavum

vum credit infixum, nam liquefacto ebore pars ea erumpebat aculeata, quæ manubrio prius indita erat eburneo, ſummis itaq; digitis rem prehendit, vi trahit, & foras non ſine cruciatu extrahit, exclamat illicò mater ipſummet eſſe cultrum, quem à menſibus decem voraverat; obſtupuere ſinguli vix fidem oculis habentes, ſtupet ipſe Chirurgus,, & quaſi oblitus officij totus admiratione rapitur, eo vulnere ita graviter doluit inſaniens, ut in ſummo vitæ periculo fuerit, nihil hominus tamen extra ſex hebdomadas tota cura fœliciter abſolvitur; redit ergo ad priſtinum laborem quo fertur indefeſſus, nec amplius quidquam de vulnere conqueſtus eſt, ſed ecce poſt unum aut alterum menſem dictu mirabile ferrum aliud è dextro Epigaſtrio emicat, ad quod eximendum Chirurgum vocari vetat, ei ſe violentas manus allaturum minitans, ſi accedat, ſummatim ipſe ad digiti altitudinem id attrahit, ſic attractum ne intrò recurreret filo ſubligat, quod iterata vice, & pedetentim repetiit, donec ex toto extractum eſt; virga erat craticulæ digitos novem oblonga, qua educta vulnus non alia manu vel arte ſanatum eſt, quam medicamentis ab inſaniente & medico ſibi & Chirurgo

ex-

Digitized by Google

excogitatis; Quinq; menſibus abhinc effluxis, ſi qua narranti fides, erupit è ſiniſtro epigaſtrio ſummitas ferri, quod iterata vice & pedetentim ut prius attrahens, & ſubinde ligans intra dies octo totum extraxit, cochlidion erat ferreum ſemipede longius, vulnus autem ſimiliter ut aliud præcedens, non arte alia ſanatum eſt, quam propria manu, ac inſani mente, qui proinde ſolitis operibus nunquam defecit. An hæc tria ſimul & ſemel voraverit, an primò cultellum & interjectis iisdem menſibus quaſi de cultelli exitu ſollicitus, ferrum ferro trudere cogitaret, incertum eſt; multa alia ferramenta deglutiit, quæ per meandros & inteſtinorum anfract⁹ conducibilia, facilè dejecit, ſed exeſa & ſemiliquefacta, ut ea de quibus dictum eſt, quæ cum ſtomacho gereret, excrementa egerebat viridia, adeò ut facilè liceret ferruginem deprehendere. Hæc audiens eo ſtupore perculſus ſum quo nunc lector detineri potes, ſed oculato teſti cum major ſit fides, quam auritis decem non mihi ſatis eſſe dixi, niſi & juvenem viderim, per compita modo divagatur reſpondit parens (erat enim dies feſtus) ſed hic maneas & eum ſi invenero adducam, moræ impatiens itineri me jungo,

go, unum cave addidit, ne te medicum vel Chirurgum dicas, quos odio habet pluſquam Vatiniano, ſed potius militem, nam de caſtris, obſidione urbium, aliisq; rebus bellicis mira loquitur: viginti paſſus vix confeceramus, en lupus in fabula, hominem video quadrato corpore & fixo intuitu, redimus unà domum, jubet parens ut cicatrices oſtendat, at ille ſuccenſens jam dudum mortem meam meditaris ô peſſime, ecquid inquio, quæ gloriosè recepiſti vulnera oſtentare vereris? num pudet, ah pudeat talem militem, lubenter ait oſtendam, in caſtris enim quot & quæ paſſus ſim non facilè crederes, & aperto ſinu duas vidi, tetigiq; cicatrices, alteram tribus digitis ſub Xiphoide cartilaginea à dextro latere, alteram à ſiniſtro paulo ſuperius, poſterius aliam inter nonam & decimam dorſi vertebram à latere dextro.

HIST. C.

Embryo prægnans.

TErrebit Lectores hiſtoriæ titulus. Certè ipſe mihi non ſatis credo, dum hæc periture chartæ illino, quæ nulla unquam

quam ætas vidit vel audivit: Embryonem nempe alio embryone prægnantem fuiſſe. Indorum hiſtoriæ teſtantur bimulas puellas peperiſſe. Sed plus eſt quod refero, cui fidem omnis poſteritas denegabit, & ego invitus potui aſſenſum præbere, niſi dignis teſtibus eſſem convictus, adeo multa in Naturæ ambitu monſtroſa eduntur, ſeculumq; noſtrum ferax eſt rerum à quotidiano uſu abhorrentium. Ea tamen fide monſtroſam imprægnationem referam, qua accepi, judicium lectoribus æquis relicturus. Pluſculis ab hinc annis in oppido Fioniæ noſtræ Affuentzlöff in parochia Uleſloviana prope Neoburgum Matrona quædam Johanna uxor coloni Nicolai Petri parturientis dolores aliquot dies experta, parere nõ potuit, quanquam binas obſtetrices plebejas ſibi præſentes habuerit. Unde tertiam ex vicinia majoris famæ & experientiæ, nomine Siſſeliam, advocavit, quæ magna difficultate tantum tandem promovit, ut onere ventris prægnans levaretur & à morte vindicaretur, ſed fœtu mortuo ſequioris ſex⁹ excluſo. Dum cadaver hujus ab obſtetrice hac & matre puerperæ ablueretur & ad ſepulturam præpararetur, mirantur tumidum fœtus ventrem, in quo ad tactum videbatur quaſi oſſe-

oſſeum quid deliteſcere, unde conſilio inito, parvo cultello avia aperuit ventrem, & mirum dictu inventus in fœtu alius fœtus ſexus feminini in loco conſueto ſitus, perfectus omnibus membris, circiter ſpithamam longus, unguibus & pilis donatus ad morem fœtus perfecti, & ſicut prior fœtus ex matre editus livebat & caro ejus nigricabat, quemadmodum fœtus mortui ſolent; ita hic minor fœtus candicabat & carne ſana præditus erat, ut ex omnibus indiciis concluderet avia, vitalem fuiſſe. Nec deerant huic ſecundæ, quibus in embryonis utero alligabatur. Hæc ſancta fide aſſeveravit & juramento confirmavit obſtetrix Siſſelia, nuper que actæ rei ſeriem enarravit Soræ in præſentia Perilluſtris Præſidis Academiæ Soranæ Dn. *Georgii Roſæcrantzii* rerum Medicarum valdè periti, & Illuſtris Dn. *Hugonis Lutzow* Regis Præfecti Anderſchoviani, illorumque Conjugum Nobiliſſimarum, inprimis incomparabilis Matronæ Dn. *Brigittæ Tott*, Dominæ de Turebye, eruditione judicio & morum gravitate ſexum ſupergreſſæ, quibus mentiri fruſtra non licuiſſet. Affirmavit eadem obſtetrix trium poſtea liberorum matrem fuiſſe Johannam, ſerioque caviſſe ne

ulli inſolitus hic partus innoteſceret, ut nec confeſſionario aperire voluerit, quæ cauſa fuit, quod hactenus rei novitas obliterata ſit, quam ejusdem Nobiliſſimæ Matronæ *Brigittæ Tott* beneficio, iterata obſtetricis confeſſione teſte Viro Reverendo Dn. *Petro Eraſmio*, olim diſcipulo meo, nunc verò Eccleſiaſte Thurebyenſe, nuper reſcivi. Si meæ conjecturæ locus, exiſtimo gemellas hic molitam eſſe naturam ſed errore quodam alteram in alterius abdomen inductâ cuticulâ detruſam. Sed admirationem conjecturæ prætendo, aliis naturæ ſecreta rimandi traditurus occaſionem. Idem enim erudito Lectori dictum velim, quod Licinio Suræ olim *Plinius* l. 4. Epiſt. ult. *Scrutare tu cauſas, potes enim, quæ tantum miraculum efficiunt. Mihi abunde eſt, ſi ſatis expreſſi, quod efficitur.*

FINIS.

IN-

INDEX HISTORIARUM.

Numerus primus Centuriam, ſecundus Hiſtoriam notat.

ADipoſa ſubſtantia ex hydaditibus hydropicorũ 6.84
Ægilopis curatio. 5. 84.
Alvi pertinax obſtructio. 5. 40.
Anatome febricitantis Ducis. 5. 4.
Anatome Phthiſici. 5. 7.
Ex Anſerino ſterno de hyeme præſagium. 5. 67.
Antimoniô visô purgatio ſecuta. 5. 64.
Aquæ ſalſæ edulcoratio. 5. 77.
Arborum externum concrementum. 6. 9.
Aſini caro ad lepram. 6. 33.
Aſperæ Arteriæ vulnus. 5. 89.
De Ave Paradiſiaca. 6. 56.
Auris nativa occluſio. 6. 36.

B.

BUbonocele rara. 5. 51.

C.

CAlculorum in veſica obſervatio & magnitudo. 5. 57.
Calculus in Apoſtemate. 5. 91.
Calculus magnus ex urethra diſrupta. 5. 3.
Callus manuum eminens. 5. 86.
Cancer capiti nocens. 6. 57.
Cancri in mammis exulcerati excisio. 5. 100.
Cantharidum uſus internus. 5. 82.
Capitis bovis ſylveſtris robur. 6. 86.
Caput tumidum fuſtibus. 6. 43.
Carcinomatis in abdomine ſectio. 6. 71.
Caro lateris ablata & reſtituta. 6. 59.
Caudatus puer. 6. 44.
Cauteria potentialia tutiſſima. 5. 36.

Cere-

Digitized by Google

Cerebri abceſſus per nares oculosq;
purgatus 6. 13.
Cerebrum Bovis lapideſcens. 6.91.
Civettæ fœminæ Anatome. 5.49.
Clyſter ex Tabaco, & pro eo inſtrumentum novum. 6. 66.
Colica lethalis poſt purgationem. 5. 23.
Conchæ Anatiferæ Majores. 6.46.
Convulſio ex lue Venerea. 6. 23.
Convulſio oppoſitæ partis in capitis vulnere. 6. 2.
Coryza ſingularis. 6. 37.
Coſtæ undecim in thorace. 5. 1.
Carnij caries ex ulcere. 6. 8.
Cranij robur. 5.44.
Creta gallis gallinaceis adverſa. 5. 38.

D.

DAtura Indorum. 6. 76
Dejectio cruenta ſalutatis. 6.41
Ad dentium dolores remedium 5. 54

Diabetes in Sene. 5. 30
Dolor capitis à vermibus. 6. 3
Dolor pedum in parturientibus 6. 18
Dyſenterici Anatome. 6. 2

E.

ELephanti docilitas. 5. 31
Embryo prægnans. 6.100
Emplaſtra in Nucha. 5. 25
Encanthis oculi. 6. 6
Eryſipelatis remedia popularia. 6.72
Epilepſia ex pede. 6. 78
Epilepſia ex Renibus & veſica. 5.61
Epilepſia ex vermibus. 6. 20.
Eriſypelas poſt menſium fluxum. 5. 10.
Exanthemata magna ſed benigna. 5.56
Exulceratio ſtomachi. 6. 21

F.

FAtuitas ex frigore. 6.88
Febres malignæ ex vermib'. 6.29

Felis

Felis antipathia. 6. 58.
Felis per os pariens. 5. 98
Fœtus extra uterum in abdomine inventus. 6. 92
Fœtus mortui expulſio violenta. 6. 83.
Fœtus mortui ſigna. 5. 78
Fons medicatus S. Helenæ. 5. 15
Fontanellæ mutatio 6. 10
Fruſtum ferri per lotium, crus, dorſum redditum. 6. 99
Fungus Capitis. 6. 82
Fungus palpebræ inferioris. 6. 10
Furor uterinus. 5. 85

G.

GAngræna ſubitanea in pedis fractura. 5. 11
Gingivarum tumor ingens. 6. 62
Globulus bombardæ ex ore per anum expurgatus. 6. 98.
Globulus ſclopeti in faucibus relictus. 6. 15
Gloſſopetrarum Melitenſium Uſus Medicus. 6. 1

Grata medicina pro pueris & delicatulis. 5. 60

H.

HAbitus Medici in Peſtilentia. 5. 71

Hernia poſt Colicam. 6. 70

Hydropica curata. 5. 46

I.

IAculum in diaphragmate latens 6. 97.

Jalappæ damnum. 5. 69.

Icterus ex Colica. 5. 62

Icterus ex vulnere ſclopeti. 6. 85

Ilei coalitus cauſa obſtipati ventris 6. 38

Ex imaginatione natus. 6. 61

Inſtrumentum pro ventriculo eluendo. 5. 26

Ad vomitum ciendum idem percommodum. Loro utebatur Scribonius comp. 180, *ex corio. Papyri intortum librum ſubſtituit Nicander in Alexipharmacis. Ferrei inſtrumenti meminit Pollux l.*4. *c.*25. *De quibus erudi-*

Digitized by Google

tus Rhodij noſtri commentarius conſulendus. In Anglia nuper inventus uſus bacilli flexilis ex pinna balenæ, cum alligatis ſcopis, quo per gulam demiſſo & ſurſum deorſum moto ad vomitum concitatur repletus ventriculus. Noſtris penna anſerina has vices ſupplet, cujus quoq; apud Oribaſium l. 8. Collect. c. 6. mentio extat.

Inteſtinorum ex vulnere prolapſus. 6.75

Intumeſcentia corporis vulneratô jugulô. 5. 12

Intumeſcentia ex caſu fortuito. 5.13

Ira Podagricis utilis. 6.28

L.

LApis in corde Cervi. 6.93

Laryngis prolapſus. 5.29

Lignum foſſile. 5. 72

Loci in morbis mutatio. 5.45

Longævitatis exempla nupera, & cauſæ. 5.28

Lotium nigrum eſu uvarum. 5.90

INDEX.

M.

MAmmariorum & Epigaſtriorum Vaſorum conſenſus. 6. 47
Manus ferè reſecta. 5. 75
Manus ignem perferens. 6. 51
Maritus pro uxore puerpera dolens & decumbens. 5. 79
Mares in utero dextro non ſemper geſtari. 5. 88
Martis Anatome. 5. 14
Meningum perforatio lethalis. 5. 70
Menſtrua per vomitum. 5. 32
Menſtruus fluxus in juvene. 5. 33
Monſtroſa caro capiti adnata. 6. 90
Monſtrum ſine brachiis. 6. 39
Monſtrum Triceps. 6. 49
Morbi An. 1657. graſſantes. 5. 6
Morborum curatio per menſurationem. 6. 48
Morborum magicorum ſigna. 5. 35
Mors ex nimio potu. 6. 16
Moſchatus odor Crocodili, piſcis, hominum. 6. 52
Motus poſt mortem. 6. 4

Na-

N.

NAphtha in genu. 6. 32

O.

OEdemoſarca cruris. 5. 55
Oleum contra vermes externum 6. 67
Oris & Podicis conſenſus. 5. 81
Oſſa mollia. 6. 40
Oſſe temporum fractô, mors. 5. 5
Oſſis ſacri dolor à vermibus. 5. 80
Ovi vis purgans, & corpori moleſta. 6. 65
Ovum duplici cortice. 5. 95

P.

Paralyſis pedum ex lapſu. 5. 8
A partu difficili mors. 5. 47
Pediculus marinus. 6. 60
Penis gangræna. 6. 96
Phthiſici Anatome. 5. 67
Pili Urſini in puero. 5. 24
Pilorum ex tractione mors. 5. 34
Ex pipere remedia popularia. 5. 48

Digitized by Google

Pix Arthrit icis ſalutaris. 9. 95
Polypus ſponte emunctus. 6. 30
De Potu poſt medicamentum. 6. 45
Prægnantis Symptomata. 6. 31
Prognoſtica ex Puſtulis. 6. 26
De Puſtulis liber Hippocratis ibid.
Pudendi muliebris monſtroſa con-formatio. 5. 9
Puella ex cane nata. 5. 87
Puerperæ ſubitanea mors. 6. 79
Pullities Danica. 6. 11
Pulmo innoxiè vulneratus. 5. 96
Pulmonibus vulneratis corporis tumor. 6. 69
Pulmonis Abſceſſus ſponte ruptus. 6. 12
Pulſatio per univerſum corpus. 6. 24
Pulſus obſervatio accurata. 5. 37
Pulvis Febrifugus Peruvianus. 5. 50
Pulvis pro dentibus. 6. 54

Rabies

Digitized by Google

INDEX.

R.

RAbies animalium. 5. 52
Ruminantis hominis Anatome. 5. 16

S.

SAngvineus vetulæ fluxus. 6. 34
Ad Sangvinis fluxum ſingularia. 5. 97.
Scabiei remedium vile. 6. 73
Scapulæ divulſio. 6. 22
Scrotum putridum ablatum & reſtitutum. 6. 69
Secundarum Extractio. 5. 39
Smilax aſpera pro Carbunculis. 6. 27
Solſtitij ſigna. 5. 73
Sphaceli remedium. 5. 41
Spiritus Vitrioli damna. 5. 53
Stigmata ſingularia. 5. 65
Stranguria ex cantharidibus. 5. 21
Strumæ cancer & oſſiculum. 6. 64
Sudor ſtatuarum. 5. 93
Suffocatio ex aquis. 6. 68

Surdi-

Surditas ex pane calido. 6. 77
Suturarum in cranio laxitas. 5. 92

T.

TAbaci virtus in Hydrope. 6. 17
Tabes à ſpiritu vini. 5. 38
De Tarantula. 6. 35
Tartarus Cydoneorum. 5. 22
Thoracis vulnus penetrans innoxium. 6. 81
Tonſillarum exulceratio. 5. 18
Tranſplantatio morborum in animalia. 6. 53
Tremor capitis à mictu ſangvineo. 5. 58
Tuberculum in cornea poſt ophtalmiam. 6. 5
Tumor brachii verminoſus. 5. 63
Tumor ventriculi carnoſus. 6. 19

V.

VEnæ conſolidatæ ſignum. 5. 99.
Venæ ſectionis tempus in Tertiana. 6. 42

Vena

INDEX.

Vena ſponte aperta. 5. 19
Veneris immoderatæ damna. 6. 94
Ventriculi & faciei conſenſus. 5. 68
Ventriculus in Thorace ſitus. 6. 55
De Verme Aquatico Norwegiæ. 6. 63
Vermes in ovo. 6. 87
Vermes in Variolis. 5. 20
Vertigo monſtroſa. 5. 74
Vinum in petechiali febre ſalutare. 6. 7
Virgo Cornuta. 5. 27
Virgo X annorum nupta, & juvenis XII annô generans. 5. 17
Vitri devorati damna. 5. 66
Ungventum Torchillianum. 6. 25
Vomica pectoris in duello rupta. 6. 14
Vomitus Lacerti. 5. 94
Uteri clauſi apertio. 5. 42
Uteri ſuffocationis remedium. 6. 50

Vul-

Digitized by Google

INDEX.

Vulnera circa umbilicum lethalia. 5. 59
Vulnus ſub ala dextra. 6. 74
Vulvæ clauſæ ſpontanea curatio. 5. 43

Digitized by Google